AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMVS NONUS.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI
& FILIUM.
M DCC XXVIII.

Cicero pro Archia.

QUis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis, conceditur temporis: quantum alii tribuunt intempeſtivis conviviis: quantum denique aleæ, quantum pilæ, tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumſero?

VIRO

GENERE, DIGNITATE

ET MERITIS PERILLUSTRI

DOMINO DOMINO

ZACHARIAE CONRADO

AB

VFFENBACH

LIBERAE ET IMPERIALIS REIP.

FRANCOFVRTANAE

CONSVLI MAGNIFICO

ERUDITI ORBIS AMORI ATQVE

DELICIIS SAECVLI NOSTRI

ORNAMENTO

MAECENATI SVMMO

HOC QVICQVID EST
OPELLAE
SEQVE IPSVM

SACRVM DEVOTVMQVE ESSE
JVBET

J. G. SCHELHORNIUS.

Licet

LIcet nullæ me prorſus privativæ cauſæ impellerent, ut hujus libelli nuncupatione cultum TIBI meum publice teſtarer, VIR GENEROSISSIME, id tamen cum maxime illæ, quæ mihi cum cunctis litterarum amantibus ſunt communes; a me expoſcerent. TV enim virtutibus TVIS meritisque immortalibus, quorum fama orbem, quaqua

patet, eruditum feliciter impleviſti, eum jam dudum honorem conſecutus es, ut nemo litteratorum ſit, qui TIBI non adſurgat, nemo, qui tot titulis illuſtre caput haud obſervantiſſime revereatur, nemo, qui VFFENBACHII nomen, ſuo jure iturum in ſæcula, non venerabundus in ore ferat animoque, nemo, qui TIBI, ceu præſtantiſſimo ingeniorum arbitro, ſua placere haud præoptet, nemo denique, qui pro TVA incolumitate perpetua non vota fundat flagrantiſſima. Ea eſt TVA liberalitas, MAGNIFICE CON-

CONSVL, ut ad Bibliothecam TVAM, ipſis fere Regibus invidendam, quam incredibili ſumtu ſtudioque colligis, veluti ſacram anchoram confugere poſſint omneseruditi, nunquam ſine ope redituri; eaque TVA eruditio, ut ipſe quoque theſauris a TE feliciter congeſtis uti queas, & ad TE quam axime pertineat, quod de ſummo ſui ævi Mæcenate Erycius Puteanus, illud Muſarum corculum, prædicavit (†): *Librorum ſuppellectilem inſtructiſſimam habet,*

(†) In Epiſt. Attic. Promulſ. Cent. I. Epiſt. XII. p. 19.

quam cum delectu comparat; nec comparat tantum, sed usurpat; volvit ac revolvit. Scimus, Bibliothecas quo pacto plurimi ornent: volumina multa cumulant, non tractant; congerunt, non conterunt: deprehendas in ubere velut libraria penu epulas cujusvis doctrinæ: ipsum Dominum in his deliciis rudem, indoctum, & Tantali vicè sitientem, non quidem fallacem illam fluentis fugitivi undam, sed veræ scientiæ ac virtutis. Heros hic aliter, qui cum splendidissimas librorum dapes habeat, libat ac delibat quotidie, non tantum ad famæ suæ vitam, sed imortalitatem.

Mæ-

DEDICATIO.

Mæcenatis ergo TIBI elogium non amor magis & proniſſima in litteras voluntas, quam exquiſita doctrinæ copia conciliavit: & erit, erit aliquando tempus, quo illuſtre VFFENBACHII nomen in illius locum ſuccedet, ut maximi Muſarum Patroni & Statores, qui litteratorum ſtudia indulgentiſſime fovent, non tam Mæcenates quam VFFENBACHII adpellitandi ſint. Sed ulterius jam in patentiſſimum laudum TVARVM campum excurſurum calamum revocat inſignis TVA modeſtia, quam cum reli-

quis, quibus fulges, virtutibus ſuavi connubio ſociaſti.

Licebit tamen & privatas, quæ iſthoc dedicationis conſilium mihi inſpirarunt, cauſas allegare. Ipſa hæc opella teſtis eſſe poteſt, illis, qui TVAE humanitatis fores pulſant, haud deeſſe ſubſidia, quibus e TVIS gazis nunquam exhauriendis ſuam ſublevent inopiam: quo nomine plurimum TIBI debeo, & mecum multi debebunt, quod non aliæ tantum ejus partes κειμηλιοις a TE conceſſis ſuperbiant, ſed & hæc ipſa, quæ nunc TVVM conſpectum tanquam devotiſſimi

mi mei cultus obſes ſubit, luculentiſſimas TVAE eruditionis humanitatisque notas oſtentet. Præterea tanta eſt TVA, VFFENBACHI, (ſolum enim hoc nomen ſum̃i inſtar elogii habeo) indulgentia, ut non multa duntaxat in litteris ad me gratioſe exaratis TVI favoris mihi ſæpius dederis documenta, verum etiam, quod maximæ felicitatis in parte pono, inter TVOS me benevole recipere dignatus fueris. Pro quo prolixiſſimo in me adfectu cum grates perſolvere dignas nequeam, & *interdum*, judice Seneca, *ſolutio ſit ipſa con-*

confeſſio, me TIBI æternum devinctum fore profiteor. Cæterum quum mentem de TE meam votaque idoneis verbis exprimere haud valeam, alienis, ſed menti meæ plane conſonis, uti liceat, venuſtiſſimo nimirum carmine, quo Celeberrimus noſter Heumannus TIBI ſummum magiſtratum florentiſſimæ Reip. Francofurtanæ anno ſuperiori fauſtis ominibus ineunti gratulatus eſt:

Conſule Roma ſuo plauſit
ſibi jureque plauſit.
Tu quoque plaude Tibi
Conſule, Mœne, Tuo.

Docto-

DEDICATIO.

Doctorum Princeps, librorum Dives, amator
Veri ac virtutis Tullius ille fuit.
Servator Patriæ, Patriæ decus & decus orbis,
Atque Pater Patriæ Tullius ille fuit.
VFFENBACHIADÆ *par virtus gloria parque.*
VFFENBACHIADES *Tullius ecce novus!*
Doctorum est Princeps, librorum est Helluo, cultor
Veri

DEDICATIO.

Veri ac virtutis, nunc Patriæque Pater
Magne Vir, applaudo. Flore, Clarissime CONSUL,
Præsidium Musæ dulce decusque meæ.
Macte nova virtute novis modo honoribus auctus!
Sic decus Urbis eris, sic decus Orbis eris.

Ita Vale, MAGNE VFFENBACHI, meque porro inter TVOS habe. Scribebam Memmingæ A. R. S. MDCCXXVIII. Nonis Augusti.

Sum-

Summa
hujus Tomi.

I. *Dissertatio secunda de libris publica auctoritate combustis.* p. 651

II. *Analecta ad Dissertationem de libris combustis.* p. 752

III. *Leonis Allatii Confutatio fabulæ de Joanna Papissa ex monumentis Græcis.* p. 779

IV.

IV. *Palthenii Epiſtola de eodem argumento.* p. 817

V. *Jo. Jacobi Breitingeri ſupplementum ad Commentationem de monumentis antiquis in agro Ligurino erutis.* p. 822

VI. *Jac. Zimmermanni Exercitatio de Atheismo Platonis,* p. 827

VII. *De primitiis typographicis Harlemenſibus & Uffenbachianis.* p. 969

I. DIS-

I.

DISSERTATIO SECUNDA

De

LIBRIS PUBLICA AUCTORITATE COMBUSTIS.

XXXI.

INter primos beati Lutheri in Gallia fautores fuit *Ludovicus BERQUINUS*, Regis Franciſci I. conſiliarius, ortu nobilis, & probitatis laude inſignis, qui vero cum non Monachorum tantum ſui ævi inſcitiam atque fraudes voce & ſcriptis ſtrenue oppugnaret, ſed quædam etiam Lutheri, Eraſmi ac Hutteni opuſcula, Mo-

nachis invisa, Gallicana veste induta publici juris faceret, post varias tribulationes Parisiis A. MDXXIX. d. 22. Apr. flammis ultricibus traditus fuit, scriptis quoque ejus rogo damnatis. Ex illius libris memorantur *Speculum Theologastrorum, de usu & officio Missæ, Rationes Lutheri, quibus omnes Christianos esse Sacerdotes molitur suadere, Le Débat de Piété & Superstition &c.* (*a*) Meminit ejus amicus quidam Henr. Corn. Agrippæ, quem Erasmum Roterod. esse suspicor, in literis ad eum Friburgi A. 1533. d. 21. Apr. exaratis, illum Berquini exemplo ob oculos posito a publica cum monachis contentione dehortaturus. En ipsa verba, cum Agrippæ opera non ubique sint obvia: *Placuit* (in libro de Vanitate Scientiarum) δεινωσις & *copia, nec video, cur tantopere indignentur monachi. Ut vituperas malos, ita laudas bonos. Sed illi tantum amant laudari. Quod tum tibi suasi, rursus suadeo, ut, si commode possis, extrices te ab ista contentione. Sit tibi exemplo Ludovicus Barguinus, quem nihil aliud perdi-*

(*a*) Vid. de Berquino in peculiari articulo differentem P. Bælium in Diction. Hist. Crit. Tom. I. f. 533. sqq.

perdidit, quam in monachos ac theologos ſimplex libertas, vir alioqui moribus inculpatiſſimis. Sæpius illi ſuaſi, ut arte explicaret ſeſe ex eo negotio, ſed illum fefellit victoriæ ſpes. Quod ſi non potes effugere, quin experiare Martis aleam, vide, ut e turri pugnes, nec te committas illorum manibus. Illud inprimis cave, ne me iſti negotio admiſceas. Plus ſatis oneror invidia. Ea res & me gravabit, & tibi magis obfuerit, quam profuerit. Idem rogaram Barguinum, & ille promittebat, ſed fefellit, plus ſuo tribuens animo, quam meo conſilio. Exitum vides. Ne tantulum quidem fuiſſet periculi, ſi meis conſiliis obtemperaſſet. Toties illi occinebam, nec theologos nec monachos vinci poſſe, etiamſi haberet cauſam meliorem, quam habuit ſanctus Paulus (b).

XXXII.

Ibidem A. MDLXXXIV. ipſis Kalendis Decembribus *Petrus BELLAVILLA* e Belſiana nobilitate ante ædes publicas patibulo ſuſpenſus eſt, quod, cum arthritide vexatus arma ferre non poſſet, ſtylum in

(b) Vid. Agrippæ Epiſtolar. Lib. VII. p. 1066.

Henricum III. Regem ejusque secretas libidines & præcipuos Consistorii consiliarios mordaciter strinxerat, edita Satira maledicentiæ plena. Corpus vero ejus cum chartis & litis probationibus in ignem conjectum est, bonis fisco addictis, prouti Illustrissimus Thuanus in Historiarum opere, & styli elegantia & gravissimarum rerum copia, judice Wagenseilio (*c*), cum quibusvis veterum in eo genere scriptis conferendo testatur (*d*).

XXXIII.

Paulo post Anno nimirum MDLXXXVI. X. Kalend. Decembr. itidem Lutetiæ carnificis laqueo jugulatus, arborique infelici in ipsa palatii, in quo jus dicitur, area affixus fuit *Franciscus BRITO* Pictavienſis, non satis sani syncipitis homo, qui postquam vecordia potius & furore actus, quam consulto & dedita opera per urbes & oppida transiens ad jugum excutiendum libertatemque capessendam quiritando omnes excitare fuisset ausus, idem scripto facere molie-

(*c*) In Synopsi Historiæ Universæ. Part. II. p. 760.
(*d*) Historiar. Lib. LXXX. f. 191. edit. Francof. 1621.

moliebatur, ſtricto in Regem & Magiſtratus calamo. Libellus jam typis mandari coeptus, ſed re evulgata, antequam abſolutus eſſet, mox exemplaria diligenter conquiſita, flammis deinde addicta ſunt: Joannes autem Carrojus & Ægidius Martinus, qui typis eum mandaverant, funе ad collum alligato virgis cæſi & extra regnum deportati, teſte eodem, quem modo laudavimus, Thuano, qui omnem rem copioſius perſequitur (*e*)

XXXIV.

Sub ſæculi decimi tertii initium Almarico ob perverſa, quæ fovit, dogmata in Gallia damnato, eandem diſcipuli quoque ejus & ſectatores fortunam ſubiere, inter quos eminuit *Davides DINANTIUS* qui præter alia Deum eſſe materiam primam aſſeruit. Sed ejus libri atro carbone notati atque exuſti ſunt: cumque iſtis hæreſibus cauſam dediſſe viderentur ſubtiles quædam quæſtiones librorum Ariſtotelis de metaphyſica, recens in Galliam Conſtantinopoli delatorum, iidem libelli æque in

(*e*) l. c. Lib. LXXXVI. f. 101.

provinciali Consilio Parisiis contra emergentes hæreses celebrato comburi jussi & sub anathemate prohibiti sunt, teste Henrico Spondano (*f*).

XXXV.

GREGORIO I. P. M. *magni* cognomen ob res gestas adepto, uti pietatis & eruditionis laudem neutiquam denegandam esse, ita eum in hoc jure merito culpandum censet Guil. Cave (*g*), quod, teste Joanne Sarisburiensi (*b*) non modo mathesin ab aula recedere jusserit, sed quo major esset S. Scripturæ auctoritas, & in ea evolvenda diligentia studiosior, intempestivo nimis ac plane flagranti Zelo nobilissimæ Bibliothecæ Palatinæ, in cujus Archivis recon-

(*f*) In Annalium Baronii Continuat. Tom. I. ad Ann. 1204. num. XVIII. f. 25. sq. De varia Aristotelis in Academia Parisiensi fortuna eruditus extat Jo. Launoji liber, quem ob raritatem & præstantiam cum suis observationibus Wittebergæ A. 1720. in 8. recusum dedit Cel. Jo. Hermannus ab Elswich, præmisso de varia Aristotelis in Scholis Protestantium fortuna schediasmate.

(*g*) In Histor. Liter. Scriptor. Eccles. Part. I. f. 304.

(*b*) De Nugis Curial. L. II. C. 26. & Lib. VIII. c. 19.

condebantur tot veneranda vetuſtatis monumenta, ignem admoverit, quo incendio perierunt

Scripta Palatinus quæcunque tenebat Apollo.

Tito præſertim Livio ipſum infeſtum fuiſſe, quod ab eo multa de ſuperſtitionibus idolorum narrentur, atque hinc omnes ejus, quos habere potuerit, libros in cineres redegiſſe Antoninus Archiepiſcopus quondam Florentinus, in divorum numerum relatus, tradit(*i*). Sunt tamen, qui illud non in dubio ſolum ponant, ſed & fortiter pernegent. Operoſus cumprimis in eo eſt Scipio Amiratus in Diſſertationibus politicis in C. Cornelium Tacitum.(*k*). Varia autem ipſius Gregorii ſcripta eandem poſt ejus fata ſortem experta fuiſſe Sigebertus Gemblacenſis (*l*) refert, qui, poſteaquam nonnulla illius opera enarraſſet, addit:

(*i*) Part. IV. Summ. tit. XI. Cap. 4. §. 3.

(*k*) Lib. XXI. Diſcurs. I. p. 771. ſqq. editionis a Julio Bello adornatæ Francof. 1618. in 8. conf. P. Bælii Diction. art. Gregoire I. not. (M.) f. 1306. ſq.

(*l*) De Scriptoribus Eccleſiaſt. Cap. XLI. f. 98. edit. Hamburg. Prolixius paulo rem narrat Jo. Diaconus in Lib. IV. de vita S. Gregorii cap. 69. conf. Bælium l. c. not (S), fol. 1309. ſq.

dit: *Scripsit & alia, quæ a Romanis post mortem ejus combusta sunt, qui & omnia ejus opera combussissent, nisi Petrus, diaconus ejus, interveniens confirmasset jurejurando, se vidisse Spiritum S. quasi columbam super caput Gregorii tractantis sedentem, rostrum suum illius ori inserentem; & hoc ipsum Petrus hac conditione fecit, ut si ipse post factum jusjurandum statim moreretur, Romani a libris Gregorii comburendis cessarent: si non moreretur, ipse etiam combustoribus librorum manus daret. Sic Petrus inter verba juramenti expiravit, & Romanorum insania cessavit.* Sed & de hujus narrationis veritate præter alios Baronius in Annalibus Eccles. dubitat.

XXXVI.

Richardum Angliæ Regem post Wicleffi mortem solemni edicto omnia illius scripta, nec non *Nicolai HEREFORDII* & *Joannis ASTON* flammis aboleri jussisse ex Odorici Raynaldi Annalibus Limborchius memorat (*m*).

XXXVIII.

(*m*) In Historia Inquisit. Lib. I. Cap. 22. f. 74.

XXXVII.

HONORIUM I. P. M. in Concilio Oecumenico VI. Monothelismi damnatum, ejusque epiſtolas, quibus hæreſin illam ſtabilire adlaboravit, igni adjudicatas eſſe, documentis fide digniſſimis evictum pridem eſt, quicquid etiam contra Romanæ ſedis promachi clamitent (*n*). Notandum vero res Monothelitarum jam plane proſtratas deinde per Philippicum Bardanem quodammodo vires recuperaviſſe, qui imperium adeptus, quod Monothelita augur promiſerat, ipſi viciſſim ſervavit, quod Sacramento interpoſito erat pollicitus, & decreta Concilii hujus reſcidit, actaque ejus igni tradidit (*o*). Sed Anaſtaſius illius ſucceſſor ejus Synodi auctoritatem noviter ſtabilivit.

XXXVIII.

Quæ vel auſtero Heraclito cachinnos elicere poſſent, Obſcurorum Virorum Epiſto-

(*n*) Vid. inſtar omnium B. Mart. Chladenii peredudita de Monothelismo Honorii Papæ in Concilio Oecum. VI. damnati Diſſertatio adverſus Binium & Cabaſſutium Witteb. A. 1710. habita.

(*o*) Hæc ipſis Celeb. Chladenii verbis e laudata Diſſ. p. 26. retuli.

læ, ab *Ulrico* potissimum *HUTTENO* (*p*) Equite literatissimo, aliisque ad exagitandam Monachorum stribliginem concinnatæ, Leonis X. Pont. M. decreto, quod magno auri pondere ab ipso Colonienses Theologistæ impetraverunt, Vulcano olim sacratæ fuerunt. Juvat hac occasione Æacidis Philyrani, h. e. Achillis Pirminii Gasseri Lindavienſis in eas epigramma e Gasseri schedulis manu exaratis (*q*), quod cum aliis hujusmodi in Bibliotheca Krafftiana Perillustri Possessore gratiose annuente descripsi, adjicere.

Dum Monachi Hebraam Reuchlini prodere Musam
Sacrilegi tentant, Biblia sacra puta.
Dumque sophistarum gens illiterata Camoenas
Humanas nostris pellit ubique scholis.
Nobilis Huttenus docto colluſit Erasmo,
Atque hunc composuit non sine laude librum.

In

(*p*) Vid. Celeb. Burckhardi de Hutteni Vita Commentar. Part. I. p. 165. sqq. Part. III. p. 54. sqq.

(*q*) Quarum in hujus opellæ parte III. pag. 118. memini.

In quo nil fictum eſt niſi nomina ſola virorum,
Quorum opera & ſtudia hic verbaque vana notat.
Utque magiſtrorum noſtrorum barbariem ille
Miris perſtringens ſalibus exagitat:
Sic tu non luſum, ſed inertia ſæcula ride,
Vel potius deſle tempora ſtulta hominum.

Cæterum, quod ἐν παρόδῳ obſervo, ſicuti ab eo tempore multa, ita noſtra ætate ad illarum Epiſtolarum imitationem effictæ ſunt *Epiſtolæ Doctorum & Eloquentorum & Catholicorum Virorum ad varia membra & ſuppoſita S. Facultatis Colonienſis pro congratulatione & aliis materiis ſeu ſubjectis ſupra declarationem prælibatæ Facultatis circa Conſtitutionem S. D. Clementis XI. contra P. Quesnel, autore venerando Domino Joanne Jacobſon, Vicario Vlaerdinienſi, Aquisgrani* 1715. *in* 12. hoc tantum diſcrimine, ut cum illæ Germaniſmis, hæ Gallicismis ſcateant.

XXXIX.

XXXIX.

Nonnulla JANSENISTARUM scripta Jesuitarum artibus ad feralem rogum fuisse ablegata, vel e titulo libri, cujus in septimo hujusce opellæ Tomo p. 114. memini, facile conjici potest. Et de aliquibus quidem id exploratum habemus. Nempe hanc fortunam passæ sunt in Gallia *Blasii Pascalii Epistolæ Provinciales*, sub Ludovici Montalti nomine publicatæ (*pp*), varia *Paschasii Quenelli* scripta (*qq*), *Manuale Catholicorum* & *Journal de Monsieur de St. Amour*, & plura fortassis alia. Quid de horum librorum exustione Guido Patinus senserit, ἐν παρόδῳ ex ejus epistolis (*r*) adjicere haud piget: *Je vous écris la présente pour vous dire, que les Molinistes ont eu le crédit par un arrêt d'enhaut de faire brûler en Grève le Manuale Catholicorum & le Journal de Mr. de St. Amour. Mais on ne*

(*pp*) Vid. Summe Vener. D. Weismanni Memorabilia Historiæ Eccles. N. T. Tom. II. p. 456. add. Cel. Westphali Dissert. de Libris publica auctoritate combustis p. 34.

(*qq*) Conf. Diss. cit. p. 41.

(*r*) Vid. Lettres Choisies de M. Guy Patin. Tom. I. p. 287. edit. Paris. 1692.

on ne brûle pas la verité. Maxima præſertim ſeveritate contra opus, poſtremo loco nominatum, Diarium videlicet Ludovici de S. Amore, uſus eſt Galliarum Rex, Ludovicus XIV. utpote (*s*) quod non igni ſolum mancipari, verum typos etiam ad imprimendum adhibitos frangi, ac exemplaria deleri juſſit. Recentiſſime Pariſiis publice in fumum abiiſſe nunciaverunt novorum literariorum tabulæ libellum, cujus Amſtelodamenſis editio A. MDCCXXVI. in 8. ad manus mihi eſt, hoc titulo inſignitum: *Parallele de la Doctrine des Payens avec celle des Jeſuites & de la Conſtitution du Pape Clement XI. qui commence par ces mots: Unigenitus Dei Filius.* Tantum vero abeſt, ut liber iſte hac ratione abolitus, hominumque manibus plane excuſſus ſit, ut majori potius aviditate legatur, nuperrime etiam in noſtrum ſermonem converſus.

XL.

Vulcani quoque Bibliothecam Anno MDCXXV. auxerunt duo libelli ad Summum

(*s*) Vid. D. Weismann. l. c. p. 457.

mum Pontificem, ut Ludovico XIII. Galliarum Regi, tanquam hæreseos fautori & propagatori, dirum anathema intorqueret, excitandum, & Romano-Catholicos Principes ad arma contra eundem capessenda vocandos tumultusque in Gallia movendos emissi h. t. *Mysteria politica*, &, *G. G. R. Theologi ad Ludovicum XIII. Galliæ & Navarræ Regem Christianissimum Admonitio fidelissime, humillime, verissime facta, & ex Gallico in Latinum translata, qua breviter & nervose demonstratur, Galliam foede & turpiter impium foedus iniisse, & injustum bellum hoc tempore contra Catholicos movisse, salvaque religione prosequi non posse. Augustæ Francorum.* Hosce enim libellos Prætor Parisiensis Kal. Nov. tanquam perniciosos, sceleratos, seditiosos, falsis insimulationibus calumniosos Regum a Deo ordinatorum Majestati, saluti pestiferos, publicæ securitatis perturbatores, falso atque simulato prætextu rebellionum incentores, in platea domus urbicæ per capitalium judiciorum executorem lacerari, comburi, eorumque exemplaria, quotquot penes quoscunque fuerint, intra horas 24. ad Actuarium supprimenda deferri jussit, interdixitque ne quis eos habere, legere, servare

vare velit, ne quis typographus aut bibliopola excudere, vendere, proponere auſit, qui adverſus ea feciſſe argui poſſent, capitis ſupplicio obnoxios ſimul pronuncians. Idem eos auctore *Jacobo Cellario*, alias *KELLER*, Jeſuita Bavarico prodiiſſe certo conſtare affirmavit. (*ss*). Quæ vero lites circa hos libros Parlamento Pariſienſi cum Clero Gallicano interceſſerint, fuſe Gabr. Bartholomæus Gramondus edifferit (*t*).

XLI.

Romani olim LABIENI Oratoris opera Vulcano conſecrarunt, quem cum Seneca multis laudaſſet, in hæc tandem erupit verba (*tt*): *Libertas ei tanta, ut, quia paſſim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur, animus per vitia ingens & ad ſimilitudinem ſui ingenii violentus, & qui Pompejanos ſpiritus in tanta pace nondum poſuiſſet. In hunc primum excogitata eſt nova poena: effectum enim eſt per inimicos, ut omnes ejus libri incenderentur. Res nova eſt & inſueta, ſuppli-*

(*ss*) Vid. J. L. W. i. e. Jo. Leonh. Weidneri Jubileum ſive Speculum Jeſuiticum p. 162. ſqq.
(*t*) Hiſtor. Gall. Lib. XV. p. 654. ſqq. edit. Elzevir.
(*tt*) In Prooemio Libri V. Controverſ.

supplicia de studiis sumi. Bono hercule publico ista in poenas ingeniosa crudelitas post Ciceronem inventa est. Quid enim futurum fuit, si ingenium Ciceronis triumviris libuisset proscribere? Quæ vos, dementissimi homines, tanta vecordia agitat: parum videlicet in poenas nota crudelitatis est? Quod ab omni patientia rerum natura subduxit, sicut ingenium memoriamque nominis invenitis, quomodo perducatis ad eandem rem corporis mala? Facem studiis subdere, & in monumenta disciplinarum animadvertere, quanta materia sævitiæ est? DI melius, quod eo sæculo ista ingeniorum supplicia coeperunt, quo & ingenia desierunt. Ejus qui hanc in scripta Labieni sententiam dixerat, postea viventis adhuc scripta combusta sunt: jam non malo exemplo, quia suo. Non tulit hanc Labienus contumeliam, nec superstes esse ingenio suo voluit, sed in monumenta se majorum suorum ferri jussit, atque ita includi: veritus scilicet, ne ignis, qui nomini suo subjectus erat, corpori negaretur: non finivit tantum se ipse, sed etiam sepelivit. Paucis interjectis Seneca Cassii Severi meminit, eo tempore, quo libri Labieni ex S. C. urebantur, dicentis: *Nunc me vivum uri oportet, qui illos edidici.*

XLII.

XLII.

Dominici de LAUDE, quem in Huſſitas inclinaſſe creditum eſt, libros in Concilio Conſtantienſi A. MCCCCXVIII. d. 12. April. in palatio Epiſcopali exuſtos eſſe, & ſequenti die eundem in templo cathedrali ſua dogmata abjuraſſe, notat Hermannus von der Hardt (*u*). Qui vero qualesque illi fuerint libri, mihi incognitum eſt.

XLIII.

Hermanni LOEMELII Canonici Audomarenſis nomine adſcito *Joannes FLOYDUS* Jeſuita Anglus vulgavit *ſpongiam contra cenſuram Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Anglicanæ querelam apologeticam de cenſura Epiſcoporum Galliæ in duos libros Anglicanos Audomaropoli* A. 1631. in 8. nec non *Defenſionem Decreti Congregationis Cardinalium pro ſuppreſſione librorum in controverſia Epiſcopi Chalcedonenſis Coloniæ* 1634. *in* 8. Sed SPONGIA illa manu carnificis uſtulata eſt. Antehac idem ſub *Danielis a Jeſu* perſo-

(*u*) In Tomo IV. rerum Concilii Conſtantienſis f. 1545.

na Anglice ediderat Apologiam Sedis Apostolicæ quoad modum procedendi circa regimen Catholicorum in Anglia, deinde Latine Rotomagi 1631. in 8. recusam, quam gravissima censura notaverant Archiepiscopi & Episcopi Parisiis A. 1631. agentes in decreto 10. Febr. promulgato, & ad universos per Galliam constitutos Archiepiscopos & Episcopos misso, affirmantes in hoc libro contineri propositiones longe plurimas periculosas, seditiosas, impias, & quæ in anarchiam atque ordinis confusionem maxime propendeant, ad hæc non paucas schismaticas, blasphemas, in sacramentum confirmationis contumelioſissimas, ac summi ipsius Pontificis auctoritatem convellentes, &c. (x)

XLIV.

Atila Hunnorum Rex Patavio capto *MARULLI Calabri* poëtæ carmen in laudes suas conscriptum in ignem conjici jussit, quo-

(x) Vid. Placcii Theatrum Pseudonymorum f. 421. coll. f. 376. add. Jo. Launoj. de Scholis celebribus a Carolo M. & post Carolum M. in Occidente instauratis Cap. LXX. Artic. XXVIII. pag. 377. sqq. edit. Hamburg.

quoniam poëtica licentia originem Atilæ ad Deos retulerat : arbitratus minime ferendam eſſe impudentiam, qua mortales homines ſe a Diis immortalibus originem traxiſſe ſtolide ſibi perſuadere audent (*y*).

XLV.

Cum in Synodo Conſtantienſi magna animorum contentione contra Joannem Huſſum ejusque dogmata ageretur, novus ex inſperato in Bohemia ſurrexit ſacri calicis Laicis etiam propinandi vindex, isque intrepidus, *Jacobus* nempe vel *Jacobellus de MISA*, alias *de Strziebro*, in Eccleſia & Urbe Pragenſi Paſtor, eruditione & eloquentia inclutus, telam, quam Huſſus orſus fuerat, ſtrenue pertexens, imo nova etiam molitus. Non enim tantum voce, quibus mente ſubſcripſerat, doctrinæ capita propagare contendit, ſed ſcriptis etiam, tam ſuis, quam Joannis Wicleſi quibusdam, in Bohemicum idioma a ſe in popularium ſuorum gratiam translatis, quæ Patribus Concilii Conſtantienſis maxime diſplicuiſſe

(*y*) Teſte Nicol. Olaho in vita Atilæ Cap. XV. apud Theodorum Zwingerum in Theatro vitæ humanæ, Volum. XI. Lib. III. f. 1704.

splicuisse conjectu facile est. Decretum scilicet ab iisdem, ut tractatus Joannis Wiclefi translati in vulgare per Joannem Huss & Jacobellum, atque alii per ipsos in vulgari editi, in quibus errores suos posuerunt, omnes & singuli reponantur ad manus Legati vel Ordinarii sub pœna excommunicationis, ut omnes tractatus Jacobelli de utraque specie & de Antichristo, quem Papam esse statuit, reponantur & comburantur, ac similiter tractatus per ipsum editus de remanentia panis post consecrationem in altari (*z*). Varia ad ejus historiam spectantia diligenter collegit Celeb. Hermannus von der Hardt (*a*), qui & nonnulla illius scripta e tenebris eruta publicæ luci restituit, utpote *Vindicias contra Andream Brodam pro communione plebis sub utraque specie, Apologiam pro communione plebis sub utraque specie contra conclusiones Doctorum in Constant. Concilio editas, & contra publicum Const. Concilii decretum condemnatorium, Demonstrationem per*

(*z*) Cochlæus Lib. IV. Histor. Hussit. apud Gretserum de jure & more prohibendi libros malos L. I. C. XVII. p. 88.

(*a*) In Tom. III. Rerum Concilii Constantiens. Prolegom. f. 17. sqq. & in ipso Tomo f. 416. sqq.

per teſtimonia Scripturæ, Patrum atque Doctorum, Communicationem calicis in plebe Chriſtiana eſſe neceſſariam, librum denique *de vera exiſtentia corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna.*

XLVI.

Maximum eſt & famigeratiſſimum merito inter Themidos cultores nomen *Caroli MOLINÆI*, Jurisconſultorum ſui ævi præſtantiſſimi, licet Vaticanus Præſul ei infamiæ & impietatis notam inurere, vel potius ejus memoriam, quantum in ſe erat, prorſus obliterare non dubitaverit. Iram nempe illius Vir, Thuani elogio tam eruditione ac judicio quam probitate conſpicuus, in ſe concitavit iis potiſſimum, quæ in Romanam curiam pro Eccleſiæ Gallicanæ libertate & in Concilium Tridentinum pro veritate fortiter ſcripſit. Hinc Clementis VIII. P. M. decreto omnia ejus opera, ætatem ferre digna, damnata ignique inclementer adjudicata fuerunt. En, quæ in Bernardi de Sandoval & Roxas Cardinalis & Archiep. Toletani Indice Librorum Prohibitorum & Expurgatorum (*b*) de iis

(*b*) Pag. 117. Genev. 1619.

monentur : *Sanctissimi D. N. Clementis Papæ VIII. Constitutione data Romæ die 21. Aug.* 1602. *omnia Caroli Molinæi scripta, opera & commentaria damnantur, & perpetuo prohibentur : atque illorum lectio & retentio universis fidelibus, cujuscumque status, ordinis, & dignitatis, sub excommunicationis latæ sententiæ, aliisque censuris, & pœnis, ac etiam suspicionis hæresis interdicitur. Tum præterea licentiæ prædicta opera retinendi quomodocumque & a quocumque concessæ revocantur & annullantur : ac facultas illas in posterum concedendi soli Sedi Apostolicæ reservatur. Denique universis Christi fidelibus sub supradictis pœnis præcipitur, ut post dictæ constitutionis publicationem intra mensem omnia & singula dicti Molinæi scripta, opera & commentaria cum effectu exhibeant & consignent, statim, nulla interposita mora, comburenda. Non intendit tamen S. P. prohibere retentionem librorum Juris Canonici & aliorum Catholicorum Auctorum habentium Additiones, seu Apostillas, quas vocant, dicti Molinæi, ipsis tamen additionibus deletis & emendatis juxta censuram auctoritate Apostolica editam eodem An.* 1602. Subjicit vero dein Sandovalius eam censuram, juxta quam prædictæ additiones emendandæ vel verius depravandæ, h. t. *Censu-*

ra

ra in omnes additiones ſeu annotationes marginales damn. mem. Impii Caroli Molinæi. Præfiguntur ipſi quædam monita, quibus inter alia præcipitur, ut generaliter ubique deleatur nomen Caroli Molinæi, ſeu literæ C. M. id ſignificantes, tam in gloſſis, quam in titulo & fine librorum, omnesque epiſtolæ & præfationes libris præmiſſæ ejusdem Caroli Molinæi, vel ad eundem directæ, vel de ejusdem laudibus tractantes, aut ejus vel operum ipſius mentionem facientes prorſus tollantur, quin etiam ex omnibus indicibus librorum & elenchis idem nomen ubique expungatur: porro ut ubicunque & quomodocunque alios hæreticos & ſeipſum citat, dicendo, *ut ſcripſi, dixi* &c. vel ſub quibuscunque aliis verborum formulis allegando proprios tractatus, conſilia, commentaria, lecturas, gloſſas, annotationes & ſimilia, eorum omnium & ſingulorum ubique prorſus memoria e quibuscunque libris abradatur. Licet vero quamplurima in citato Indice a pag. 119. ad pag. uſque 160. deleri jubeantur, in fine tamen cautum eſt, ut diligens lector animadvertens forte, quædam notatu & cenſura digna cenſorum effugiſſe oculos, ea delere prorſus teneatur. Adeo autem Ca-

roli Molinæi opera Romanæ curiæ invisa sunt, ut, cum Magister sacri Palatii viris probatis & doctis in finem bonum, nimirum pro fidei vel Sedis Apostolicæ aut ecclesiasticæ potestatis servitio & defensione facultatem prohibitos libros legendi concedere queat, sola Molinæi & Machiavelli opera cum libris de Astrologia judiciaria tractantibus excipiantur, quorum concessio S. Pontifici reservata est (*c*). Ob adeo igitur odiosum Pontificiis Caroli Molinæi nomen varia ejus opera sub *Casp. Caballini de Cingulo* nomine adscititio prodierunt. Unde Bailletus (*d*): *Je ne veux pour exemple que celuy de l'un des plus celebres de nos Avocats, qu'ils affectent d'appeller par tout l'impie du Molin. Ses ouvrages sont detestables sous le nom de Molinæus, mais ils sont excellens sous le nom de Gaspar Caballinus de Cingulo. Il n'est plus impie des qu'il ne s'appelle plus Du Moulin.* Sed & sub hac larva effugere haud potuerunt Viri eruditissimi scripta cen-

(*c*) Vid. Hunoldi Plettenbergii Notitia Congregationum & Tribunalium Curiæ Romanæ. Cap. XXII. p. 717.

(*d*) Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des Auteurs. Tom. V. Part. II. p. 463. edit. recentiss.

cenſuram nigrumque theta: ſiquidem & Gaſp. Caballini de Cingulo opera in Indicibus prohibitoriis Molinæo adſcribuntur, inque prohibitorum claſſem rejiciuntur. Cæterum Joannes Croeſelius, Academiæ Ingolſtadienſis quondam Bibliothecarius in Elogiis Virorum bellica virtute & eruditionis laude illuſtrium, Ingolſtadii Anno 1584. in 8. excuſis (*e*), Franciſci Balduini Atrebatii & Ludovici Mercantii carmina in impii hujus, ſi ſummi Pontificis judicio ſtes, & damnatæ memoriæ Viri honorem ſcripta exhibet, opinatus ſcilicet, eum ante obitum e Proteſtantium coetu in Pontificis Romani caſtra migraſſe. Ita enim hiſce encomiis præfatur: *Carolus Molinæus JC. Pariſienſis, in ſupremo Pariſiorum ſenatu Advocatus, qui cum diu inter Calviniſtas vixiſſet, tandem ſe ad Catholicam recepit Eccleſiam, ſerio deteſtatus Lutheri & Calvini hæreſes.* Qua in re ipſum falli non dubito.

(*e*) Part. II. p. 423. ſq. Hujusce libri raritas inde elucet, quod Croeſelius inter elogiorum collectores a Duumviris Celeberrimis Morhofio atque Struvio memoratus haut ſit.

XLVII.

Simon MORINUS, Fanaticus & portentosus homo, Lutetiæ A. MDCLXIII. cum libro A. 1647. in forma octipertita h. t. in lucem emisso: *Pensées de Morin dediées au Roi*, exustus est: de quo plura nosse gestientes ad Petrum Bælium elegantissimi ingenii, immensæ lectionis & incredibilis industriæ virum remittimus (*f*).

XLVIII.

De siniſtris scriptorum Sectæ Familistarum parentis *Henrici NICOLAI* in Anglia fatis hæc habet Guilielmus Cambdenus (*g*): *Advena ex Hollandia (feraci Hæreticorum provincia) per id temporis pacem Ecclesiæ & Reipublicæ Anglicanæ turbare coeperunt, qui in imperitum vulgus singularis integritatis & sanctitatis specie se insinuarunt, & deinde damnatas hæreses, fidei Christianæ aperte*

(*f*) Vid. ejus Diction. Hist. Crit. Tom. III. f. 2019. sqq.

(*g*) In Annalibus rerum Anglic. & Hibern. regnante Elizabetha p. 337. sq. edit. Elzevir. 1667. conf. Vinc. Placcii Theatrum Anonymorum f. 487. sqq. 499. 501. 502.

aperte adversantes, in animos instillarunt, portentoso & novo loquendi genere, a Christiana professione alienissimo, quod homines potius mirarentur, quam intelligerent. Hi e familia Amoris sive Domicilio Charitatis se nominarunt. Sectatoribus persuaserunt, solos in illam familiam adscitos electos esse & salvandos, reliquos omnes reprobos & damnandos: illisque licitum esse negare jurejurando quicquid lubet coram magistratu aut quovis alio, qui non sit ex ipsorum familia. Hujus fanaticæ vanitatis libellos e lingua Belgica in Anglicam conversos inter sectatores dispersérunt, quibus titulos fecerunt: Evangelium Regni, sententias documentales, prophetiam spiritus Amoris, Pacis supra terram publicationem auctore H. N. Nomen auctoris ut efferrent induci non poterant; fuisse tamen Henricum Nicolai e Lugduno Batavorum postea compertum, qui se Dei, Deumque suæ humanitatis esse participem, blasphemo ore pronunciavit. Ad hos mature ex lege comprimendos edixit Regina, quandoquidem religio sit prima Principum cura, ut civiles magistratus ecclesiasticis adessent, & libri isti igni traderentur.

XLIX.

XLIX.

Qui sæculo XIII. claruit, *Petrus-Joannis OLIVI*, Gallus ex oppido Serignano, Ordinis Minorum Professor, non iis modo annumerandus venit, qui sua ipsi scripta ab aliis compulsi Vulcano devoverunt (*b*), sed & illis, quorum libri publica auctoritate igni traditi sunt. Anno enim circiter MCCLXXVIII. teste Henrico Spondano (*i*), coram Hieronymo Asculano, Ordinis Minorum Ministro Generali, qui postmodum sub nomine Nicolai IV. summus Pontifex factus est, de quibusdam scriptis tractatibus, quibus Mariæ Virginis præconia ultra modum efferre voluit, accusatus, eos, jubente illo, suis manibus in flammas injecit, asserens non se voluptuosius pro suo captu illos scripsisse, quam pro prælati imperio combussisse. Idem deinde a sui ordinis sodalibus, laxiorem vitam sectantibus, quod eos a regulæ suæ rigore ac paupertate deviantes acrius redargueret,

(*b*) De quibus vid. hujus opellæ Tom. VII. p. 131. sq.

(*i*) In Annalium Baronii Continuat. Tom. I. Ann. 1278. num. XX. fol. 268.

ret, gravia multa perpeſſus eſt, & longe graviora poſt mortem, quam Anno MCCXCVII. obiit, licet haud deſint, qui ſignis & miraculis eum, fatis jam defunctum, effulſiſſe contendant. Juſſu enim Joannis XXII. P. M. e loco ſacro exhumatus, ac veluti hæreticus rogo impoſitus, flammisque devotus eſt, ſcriptis quoque ejus, *Poſtillis* nempe *in Evangelium Matthæi, Epiſtolas Canonicas & Apocalypſin*, igni adjudicatis, & qui nollent tradere ad comburendum multis tribulationibus vinculisque vexatis (*k*). Tradidiſſe vero præter alia in iis, narrante Spondano (*l*), fertur, per Babylonicam meretricem intelligi Eccleſiam Romanam, Myſticum Antichriſtum eſſe Romanum Pontificem: Franciſcum eſſe Angelum illum, qui in Apocalypſi ſignum Dei vivi habuiſſe dicitur, ejusque regulam eſſe vere & proprie illam evangelicam, quam Chriſtus in ſemetipſo ſervavit, & Apoſtolis impoſuit &c. E Libro Sententiarum Inquiſitionis Tholoſanæ, a Philippo Limborchio cum Hiſtoria

(*k*) L. c. Ann. 1297. num. VII. f. 322. conf. Limborchii Hiſt. Inquiſ. fol. 360.

(*l*) L. c. Ann. 1325. num. VI. f. 416.

ria Inquisitionis Amstelod. A. MDCXCII. publicæ luci expositō (*m*), liquet, non paucos ipsi etiam post fata fuisse sectatores, illius Inquisitionis calculo damnatos: inde quoque ejus libros nonnullis adeo fuisse in deliciis didici, ut in linguam vulgarem, Gallicam videlicet, eos, quo a pluribus legi possent, transtulerint. Memorantur & ibi ejus libri de paupertate (*n*), de dispensationibus (*o*) & de mendicitate (*p*). Notatu vero dignissimum est, illius scripta, in quæ eorumque approbatores tantopere sæviit Joannes XXII. & Inquisitio Tholosana, prohibita tantum permansisse ad tempora usque Sixti IV. qui illa diligenter ad incudem revocanda & examinanda curans, declaravit, nihil iis contineri, quod expresse fidem Catholicam læderet, cunctaque ea moderatione ab auctore dicta, ut in rectum sensum trahi possint, nec defectum aliunde perveniisse, quam ex pravo affectu vel

(*m*) Vid. fol. 298. sqq. 302. 304. sqq. 308. sqq. 311. 313. 316. 318. sqq. 322. 324. 326. ubi festum in ejus honorem Narbonæ celebratum fuisse, sicuti & p. 329. dicitur. f. 330. 385. 388. 390. 392.

(*n*) f. 322.

(*o*) f. 324.

(*p*) f. 390.

vel nimia legentium ignorantia, prouti Spondanus (*q*) refert, adjiciens, omnibus auctoribus, qui de Minorum Ordine ſcripſere, eum laudari, pluribusque præſertim ejus defenſionem in ſe ſuſcepiſſe Lucam Waddinghum Tomo II. Annalium illius Ordinis.

L.

Matthæum PALMERIUM Florentinum, inſignem hiſtoricum, ſcripſiſſe plenum erroris de Angelis librum Trithemius (*r*) refert, cumque eum pertinaciter defenderet, tanquam hæreticum condemnatum, & apud Cornam (vel Cortonam potius uti e Diario Veneto Giornale d'Italia legendum monet Celeb. J. A. Fabricius (*s*)) civitatem exuſtum eſſe. Quod tamen magis de ejus libri quam ipſiusmet combuſtione una cum Jovio accipit Spondanus (*t*), cum alioqui nec de libro cremato, nec de Palmerii hæreſi ullam apud ali-

(*q*) l. c. Ann. 1297. num. VII. f. 323.
(*r*) De Scriptor. Eccleſ. f. 185. edit. Hamburg.
(*s*) In notis ad Trithem. l. c. f. 186.
(*t*) In Annal. Baron. Contin. Tom. II. ad Annum 1448. num. XII. f. 7.

alium quemquam memoriam repererit. Modo autem laudatus, nec unquam satis laudandus Fabricius ex eodem Diario notat, Palmerium in tribus libris Italico carmine scriptis sub titulo *Città di Vita*, *Civitatis Vitæ*, inter alia statuere, animas hominum esse tertium genus angelorum, qui nec cum Lucifero lapsi ac reprobati, nec sancti ac beati fuerint, pöemaque illud condemnatum esse, Palmerium vero ad extremam perveniisse senectutem, diemque obiisse Florentiæ & honeste tumulatum, neque ossa ejus effossa & post obitum exusta. De hoc poëmate Jac. Philippus Bergomas (*u*): *Librum pergrandem ternario carmine composuit, quem vitæ civitatem appellavit, quo animam terreni corporis mole liberatam, varia multipliciaque loca peragrantem ad supernam tandem patriam civitatemque coelestem perducit, ubi beata fruatur ævo sempiterno.*

LI.

Quamvis *Bartholomæus PLATINA*, dum viveret, varie & atrociter divexatus fuit

(*u*) In Supplemento Chronic. f. 284. edit. Venet. A. MDXIII.

fuit a Paulo II. P. M. quem Octavius Ferrarius in ipſa Italia literarum ac literatorum oſorem, & tantum non peſtem ac perniciem publice nominare auſus eſt (*x*), attamen opera ejus, quod ego quidem ſciam, ad noſtram uſque ætatem publicam paſſa haud ſunt ignominiam. In Polonia vero Petricoviæ non adeo multis abhinc annis ejus Hiſtoria de Vitis Pontificum Romanorum carnificis manu in ignes infames projecta eſt, cum Generoſiſſimus D. Sigismundus ab Unrug præter omne jus ac fas ad capitis pœnas, ejusque Miſcellaneorum liber ad ferale incendium condemnaretur, de quo ſuo loco. Retulerat enim is in illum Librum e Platina quædam Paparum elogia, Pontificiis minus grata, ac deinde, cum de eo lis ipſi intentaretur, ut fontem, e quo ſua hauſerat, oſtenderet, ejus hiſtoriæ exemplar Tribunalis Petricovienſis Præſidi & Aſſeſſoribus offerendum curaverat. Unde factum eſt, ut innocens Platina cum iſto Miſcellaneorum libro in fumum abire cogeretur. (*y*)

(*x*) Tom. I. Operum variorum p. 110. edit. D. Jo. Fabricii.

(*y*) Vid. *Sendſchreiben von dem Zuſtand und Drangſalen derer* Diſſidenten *in Pohlen.* p. 70.

LII.

In Augustissima Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi servantur *Georgii Gemisti* ***PLEHTHONIS***, quo sapientiorem post Platonem & Aristotelem genuisse neminem Græciam Bessario Cardinalis (*z*) censuit, Librorum trium de legibus & optima Republica Capita X. residua in MS. Opus autem hoc cura Georgii Scholarii, qui post adeptionem Patriarchatus Constantinopolitani Gennadius appellatus est, publice combustum esse Lambecius scribit (*a*). Ibidem extat Anonymi consolatio ad Georgium Gemistum Plethonem de memoratorum trium librorum de legibus combustione per Georgium Scholarium seu Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum.

LIII.

Famosa sunt, sed rarius obvia *Petri* ***POMPONATII***, Philosophi Mantuani, quem

(*z*) Vid. Henr. Wharton Appendix ad Scriptorum Ecclesiast. Histor. liter. Guil. Cave. f. 78. edit. Genev.

(*a*) Vid. Vener. Jac. Frid. Reimmanni Bibliotheca Acroamatica. p. 553.

quem in Actis ſuis Philoſophicis ſolidis, ut arbitror, rationibus Atheismi reum egit Fautor noſter, Summe Venerandus D. Heumannus, Opera, inprimis de animæ immortalitate liber. Hunc vero librum B. Spizelius ipſum auctorem mutata mente improbaſſe, Venetosque ignibus addixiſſe refert, addens, eruditi cujusdam judicio eum non de immortalitate, ſed mortalitate animæ inſcribendum fuiſſe, cum Pomponatius ſcepticis ſuis diſquiſitionibus aditum ad funditus negandam animæ immortalitatem patefeciſſe videatur (*b*).

LIV.

פריפוש דוראן אגרת ſive *PERIPOTH DURAN* Epiſtolam ad Bonetum Ex Judæum, qui in Judaismo nomen habuerat R. David ben Garon ſive Goren, ut eum ad Judaismum retraheret exaratam, virulentam omnino & in Chriſtianismum admodum injuriam, olim equidem editam, ſed in Hiſpania combuſtam & Judæis ſub capitali ſupplicio interdictam e Rud. Mart. Meel-

(*b*) Vid. ejus Comment. de vitiis literatorum. p. 173.

fuhreri Accessionibus ad Almeloveenii Bibliothecam promissam & latentem Vir πολυμαθεςατος Jo. Christoph. Wolfius commemorat *(c)*.

LV.

Haud plane nullius inter Jurisperitos auctoritatis est liber ad priscorum Saxonum consuetudines & jura cognoscenda perutilis, ab *Eckone de REPKOU (d)* olim concinnatus, ac sub *Speculi Saxonici* (vulgo *Sachsen-Spiegel*) titulo notissimus, sed, cum primum prodiret, a Gregorio XI. P. M. pessime habitus. Ita enim de eo Henricus Spondanus (*e*) *Cum hoc eodem tempore* (A. 1374.) *in Germania per manus hominum volitaret perniciosus quidam liber titulo Speculum Saxonum, haeresibus ac deliriis scatens; eum Pontifex flammis addixit, & Germaniae Archiepiscopos ejus damnationem promulgare, Carolumque Imperatorem opem ferre monuit literis idibus Octobris scriptis.*

LVI.

(*c*) In Bibliotheca Hebræa. Tom. I. p. 992. sq.
(*d*) Vid. Placcii Theatr. Anonym. f. 235. sq.
(*e*) L. c. Tom. I. f. 582.

LVI.

Joannis de ROA, Hiſpani, ex Jeſuita facti Auguſtiniani, Apologia de juribus principalibus defendendis & moderandis juſte, num libris publice combuſtis añumeranda ſit, prorſus exploratum quidem mihi haud eſt, parum tamen dubii reſtat, cum Cardinalis Baronius eam, nondum ipſi viſam, Romæ avide, ut in cineres redigi queat, expectari diſerte dixerit. Operæ pretium eſt, ipſa ejus verba (*f*) in medium afferre: *Conſiderent, qui hodie præſunt Hiſpaniarum Eccleſiis ſacri Antiſtites, Catholicæ fidei decus & ornamentum, quanto periculo vulgari ſinatur, quod offenſam inferat Catholicæ diſciplinæ, illud, inquam, opus nuper cuſum, quod atræ ſtatim Romæ inuſtum nota flammæ ultrices expectant, elaboratum a Joanne de Roa, ejusmodi titulo: Apologia de juribus principalibus defendendis & moderandis juſte: quod Novatoribus parare viam, qui acutiorem odoratum habent, probe norunt. Videant, quo tendat adulatio iſta cum nova doctrina, quam haud quidem auctor didiciſſe*

(*f*) Ex Annalibus Eccleſiaſt. Tom. VI. ad An. 447. num. VII. fol. 50. edit. Colon. 1624.

potuit a doctissimis Viris Societatis Jesu, inter quos aliquando socius versatus est; non apud S. Augustini professores, ad quos, ab illis abire jussus, se contulit; nec denique apud clerum Hispaniarum Catholicæ & Apostolicæ antiquæ disciplinæ tenacissimum conservatorem atque custodem, apud quem demum stipendia meruit. Verum speratur de eo, utpote adhuc inter Catholicos profitente, palinodiam fore propediem recantaturum. Hoc certum est, in Indicibus Librorum prohibitorum illam libris damnatis accenseri *(g)*.

LVII.

Inter Scriptores Anti-Jesuiticos haud infimum locum occupat *Franciscus ROALES Hispanus*, qui superiori sæculo Joannem Baptistam Pozam e Societate JEsu, cujus libri in damnatorum indicem decreto sacræ indicis Congregationis Romæ d. 9. Sept. 1632. rejecti sunt, atrocissimarum hæresium ad inquisitionis tribunal in Hispania reum egit, atque integræ etiam Societati dicam scripsit. Extat ejus *Actio hæresis in Societatem JEsu. Epiphaneia & Plerophoria*

(g) Vid. Clementis XI. Ind. Libr. Proh. p. 244. ed. Rom. 1711.

phoria Magiſtri Franciſci Roales. Hoc eſt, Manifeſtatio & ſatisfactio in luce totius Eccleſiæ ſanctæ DEI & univerſæ Reip. pro aſſerta juſtitia edictorum & ſententiæ ſacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium in Cenſura librorum, qua Johan. Baptiſtæ Pozæ e Societate JEſu opera omnia, & quælibet in ejus favorem ſcripta damnantur, in qua ſe ipſum longo hoc titulorum ſyrmate, more genti ſuæ haud inſolito, ornat : *Ego Franciſcus Roales Presbyter Theologus Hiſpanus, Magiſter Salmanticenſis, parentibus Petro Roales & Maria Munnioz e vetuſta Caſtellanorum gente in oppido Valdemoro Toletanæ Diœceſis quadraginta quatuor annos abhinc natus, olim in regio S. Laurentii prope Scorialem Collegio a ſanctiſſimis Hieronymianæ familiæ Eremitis pietatis, artium liberalium & Theologiæ ſtudiis, auſpiciis juſſuque Philippi Tertii Regis Catholici educatus, apud Salmanticenſes deinceps in S. Mariæ Magdalenæ Collega Theologus Academiæ Deputatus, & publicus Mathematum Profeſſor, adaucto ob linguarum & aliarum rerum qualemqualem peritiam honorario a Rege & ſupremo Senatu ſtipendio, tandem Principi Emanueli Filiberto & Regi Catholico Philippo IV. inter Sacerdotes honorarios a Sacris, Se-*

reniſſimo Hiſpaniarum Infanti Ferdinando a ſtudiis literariis. Ejusdem habetur *Jeſuiticum fidei ſymbolum, velut canticum novum, ex Jo. Bapt. Pozzæ libris conflatum* &c. Uterque libellus cum Alphonſi de Vargas Relatione ad Reges & Principes Chriſtianos de ſtratagematis & ſophismatis politicis Societatis JEſu, Urbani VIII. Suppreſſione prætenſæ Congregationis Jeſuitiſſarum, & Lucii Cornelii Europæi Monarchia Solipſorum A. 1665. idque; ut e typis conjicio, Helmſtadii recuſus eſt. Sed malis auſpiciis, licet magno & intrepido animo, in hanc deſcendiſſe palæſtram Franciſcum Roales, eventus docuit. Jeſuitarum enim artibus non ſolum Infantis Hiſpanici magiſterio abdicatus, atque ex aula expulſus, verum etiam toto Hiſpaniæ ſolo proſcriptus, omni jure patriæ orbatus, cunctis exutus ſacerdotiis, atque ad alia deinceps adipiſcenda inhabilis denunciatus eſt. Præterea ejus Manifeſtatio & Satisfactio, &c. cui procul dubio in prima quoque editione Jeſuiticum fidei ſymbolum annexum fuit, a Generali Inquiſitore Antonio de Sotomajor & toto Inquiſitionis Senatu tanquam impia, calumniis referta & ab omni veritate aliena A. MDCXXXVI. d. 30. Julii Madriti publica

publica auctoritate damnata, intentatoque anathematis fulmine, ne quis eam amplius legere aut retinere, vel alium retinentem celare aut clam habere poſſit, ſeveriſſime interdicta, nec non clitellario impoſita jumento, perque urbem a carnifice circumducta, atque ejusdem manu in ignem publice in platea conjecta & combuſta fuit (*b*). Hujusce ſupplicii acta mox dabimus, cum de Scioppii ſcriptis Anti-Jeſuiticis diſſerendum nobis erit. Inde vero perſpicimus, non eadem ſemper Madriti, quæ Romæ, probari. Illic enim Roales cum ſuis ſcriptis ob Pozzam accuſatum & hæreſeos poſtulatum indigniſſime fuit habitus: hic vero omnibus Pozzæ operibus nigrum theta præfixum eſt, Roaleſio cenſuram non experto.

LVIII.

De *Pauli SCALICHII* vita & ſcriptis alibi commentati fuimus (*i*). Nunc in ejus mentionem iterum incidimus, quod

(*b*) Vid. Alberti de Albertis Generales Vindicias Societatis Jeſu adverſus famoſos Gaſp. Scioppii libellos. p. 48. ſq. & p. 531. ſqq.

(*i*) In Bibliotheca Bremenſi. Claſſ. VII. Faſc. VI.

aliqua illius scripta in eorum, de quibus jam agimus, librorum censum referenda videantur. Thuanus enim (*k*) Poloniæ Regis delegatos An. 1566. non eum tantum ob prava consilia Alberto Brandenburgico suggesta e Poloniæ regno & Borussia proscripsisse, verum etiam libellos famosos ab ipso editos aboleri jussisse memorat. Qua occasione nonnulla illius opuscula post sententiam istam in ipsum pronunciatam emissa & ab erudito quodam Fautore nobiscum communicata in supplementum eorum, quæ in Bibliotheca Bremensi de Scalichio ejusque scriptis diximus, enumerare juvat, plenis illorum titulis ob summam libellorum raritatem appositis:

I. *Epistola ad Serenissimum & Potentissimum Regem Polonorum &c. Pauli Scaligeri, Commilitonis & Principis Regni Hungariæ, Dynastæ magni Principatus utriusque Terræ Hunorum, Marchionis Veronæ &c. Domini Creutzburgi in Prussia. In qua articuli quidam commissionis regiæ, a Commissariis temerarie*

(*k*) Historiar. Lib. XXXVIII. f. 719.

rie & turpiter violati, atque sententia definitiva Ducis Prussiæ, adversus Albertum Truchsium a Wetzhausen recitantur.

Accesserunt ad Responsa Europæa quoque Judicia Academiarum Wittebergensis & Francfordianæ, atque Scabinorum ambarum Civitatum Brandenburgensium, pro Scaligero contra Truchsium.

Ad Senatum & Ordines Polonorum cohortatio.

Annotationes ejusdem Scaligeri in Eliæ Kanitzsii invectivam & perfidam delationem coram R. M. Polonorum, adversus Ducem Prussiæ, Megapolitanum, Scaligerum, & quosdam Consiliarios, misere & inique trucidatos, perfide recitatam. In quibus præter alia recitantur Creutzburgensia Diplomata.

De nomine Truchsiacæ factionis.

Index eorum, quæ de innocentia Scaligeri hactenus edita sunt.

Argumenta patritorum & avitorum Scaligeri.

Elenchus Actorum ab Andrea Montzero Secretario Ducis Prussiæ recognitorum.

Responsorum & Annalium emendatior lectio.

Ad

Ad Cæsarem Rom. & Imperii atque totius Orbis Principes & Dominos imploratio.

Ad Deum Oratio.

Lamentatio & Consolatio, in 8.

II. *Querela ad Serenissimum ac Potentissimum Regem Polonorum &c. Dominum suum clementissimum &c. ejusque Regni Illustrissimum Senatum & Ordines sanctissimos: Pauli Scaligeri Commilitonis & Principis Regni Hungariæ &c.* (ut supra) *super calumnia cum incredibili tyrannide sibi absenti, & in principali legatione occupato, per quosdam sceleratissimos Sycophantas apud suam Regiam Majestatem nefarie ac proditorie intentata.*

Proverb. XXIX.

Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.

Non solum ille reus est, qui falsum de alio profert, sed etiam is, qui aurem cito criminibus præbet. II. q. III. Non solum.

In Pathmo. in 8.

III. *Apologia Pauli Scaligeri Commilitonis & Principis Regni Hungariæ &c.* (uti ſupra) *ad Zoilum. Sereniſſimi Regis Polonorum & Illuſtriſſimi Ducis Pruſſiæ publicæ ſecuritates, hujusque edictum & ſententia pro Scaligero. Pruſſia de eodem, & Alexander Sichtenius ad eundem. Julii Cæſaris Scaligeri Principis &c. quædam Poëmata. Flamminii Carmen in Porcellum Solikowskium & Catulum Canitſzæum. Item Deſcriptio Calumniæ.* in 8.

IV. *Reſponſa Juris Conſultorum, Judicum & juratorum, qui habentur in univerſa Europa longe clariores, de origine, gente ac nomine Pauli Scaligeri, commilit. & Principis Regni Hungariæ &c.* (ut ſupra) *adverſus Albertum Truchſium Wetzhauſum & alios obtrectatores, in formam Manifeſti redacta. Coloniæ apud Nicolaum Graphæum. Anno MDLXVII.* in 8.

In Bibliotheca autem Menckeniana habentur Cyrilli Annales Scaligerorum, item Reſponſa JCtorum de origine, gente & no-

nomine Pauli Scaligeri. Coloniæ 1587. in 8. quibus Illustris Possessor haud injuria raritatis notulam in Catalogo apposuit (*l*). Cæterum quum l. c. 1045. me ignorare professus fuerim, unde Nicolaus Reusnerus Scalichium nostrum Ferdinando Imperatori olim a Missæ sacrificio fuisse compertum habuerit, jam observo, ipsum id de se testari, in Apologia ad Zoilum p. 21. affirmantem, *ab Augustissimo illo Imperatore in coetum præcipuum aulæ suæ famulitii, ut ipsi a sacris esset, se cooptatum fuisse.* Scalichii effigies & elogium, quod tamen bonam partem ex Reusnero, sicuti & imago, desumtum est, in Boissardi Virorum Illustrium iconibus (*m*) etiam exhibetur, addito operum ejus catalogo, e quo ea enotare haud piget, quorum in citata commentatiuncula non memini. Sunt autem: 1. Miscellanea de rerum causis & successibus & de secretiore quadam methodo, qua eversiones omnium regnorum, universi orbis & futurorum series erui possint, Libri VII. 2. Certissima methodus, qua homines palantes ad viam veritatis revocandi veniant, contra

(*l*) Pag. 26. editionis secundæ.
(*m*) Part. III. p. 54. sqq.

tra centurias Jo. Naſi Minoritæ. 3. Judicium de præcipuis ſectis noſtræ ætatis: item de proprietatibus Antichriſti & de extremo judicio Germanice. 4. Vaticiniorum & imaginum Joachimi Abbatis Florenſis Calabr. & Anshelmi Epiſcopi Marſichani, ſuper ſtatum ſummorum Pontificum Rom. Eccl. contra falſam cujusdam pſeudomagi, quæ nuper nomine Theophr. Paracelſi in lucem prodiit, pſeudomagicam expoſitionem, indubitata explanatio. 5. Loci communes theologici, ſive pro Romana Eccleſia ejusque autoritate adverſus veſaniam Neopiſtorum oratio. 6. Miſcellaneorum Tomus II. ſive Catholici Epiſtemonis contra quondam corruptam ac depravatam Encyclopædiam Libri XV. 7. Oratio pro Romana Eccleſia. 8. Dialogus de Lyra. 9. Enarrationes tam veteris, quam novi Teſtamenti. His tamen non obſtantibus in Indicibus Librorum prohibitorum Scalichius auctoribus damnatis primæ claſſis accenſetur.

LIX.

Ex antiquitate referendus huc eſt **SCAURUS**, cujus orationes ſeptem Sena-

tus

tus consulto combustas fuisse Seneca (*n*) memoriæ prodidit, ita quidem, ut simul, earum jacturam æquo animo ferri posse, censuerit.

LX.

Casp. SCIOPPIO uti nemo facile variam doctrinam cum dicendi elegantia conjunctam denegabit, ita omnes mecum in id consensuros arbitror, sermonis nitorem cynica quadam convitiandi libidine turpiter eum defoedasse, nec abs re propterea ipsi *Canis Grammatici* nomen fuisse impositum. Hinc Germanis nostris merito illum suo *nitidissimum Grobianum* nuncupari posse persuasum habeo, quo elogio nuper in literis ad me datis Vir quidam Celeberrimus scriptorem nostræ ætatis tersissimum, & simul mordacissimum haud injuria affecit. Plerique certe ejus Libri, quos contra alios emisit, atroces adeo sunt, ut non tam bilem redolere, quam merum spirare furorem videantur. Ab eo statim tempore, quo evangelicæ veritati nuncium remisit.

(*n*) In prooemio Libri V. Controversiarum.

remiſit, quavis data occaſione ferocem in Proteſtantes eruditiſſimos ſtrinxit calamum, neque ullum facile convitii genus eſt, quod in eos non ille evomuerit. Atque, ut Apoſtatæ haud raro acerrimi ordinis a ſe deſerti perſecutores eſſe ſolent, eo tandem immanitatis eſt progreſſus, ut in libro Ticini Anno MDCXIX. excuſo (*o*) qui ad legum Draconis inſtar (verbis utor Matthiæ Berneggeri (*p*)) non tam atramento quam ſanguine ſcriptus videri queat, horribile ſacri belli claſſicum intonuerit, & ad omnes Germanos populares ſuos (qui nempe Pontifici nomen haud dant) enſe, rota, ponto, funibus, igne necandos non modo Regem Hiſpaniarum, verum etiam Im-

(*o*) In Claſſico nempe Belli ſacri, quod ejus Conſilio Regio annexum eſt, cujus editionem Francofurtenſem eodem anno curatam ad manus habeo, nec non ſcripta ipſi oppoſita, videlicet Theodoſii Berenici (i. e. Matthiæ Berneggeri) Proaulium Tubæ Pacis occentæ Scioppiano Belli ſacri Claſſico, Argentor. 1620. Ejusdem Tubam Pacis occentam Scioppiano Belli ſacri Claſſico, ibidem 1623. in 4. item Juris publici Quæſtionem capitalem, ſintne Proteſtantes jure Cæſareo hæretici, & ultimo ſupplicio afficiendi contra ſanguinarium Gaſp. Scioppii Claſſicum tractatam a Juſto Mejero JC. & ibid. eodem anno excuſam.

(*p*) In Obſervationibus hiſtorico-politicis pag. 162. ſq.

peratorem, ac cæteros Ecclesiæ Romanæ principes inflammare conatus sit, tanto cum furore, ut ne quidem infantibus hæreticorum parcendum esse monuerit, ne adultiores facti patrum scelere implicarentur, & in æternum perirent. Ipsos etiam potentissimos Reges aggredi veritus non est Vir, quo nihil maledicentius, judice Thoma Lansio, post homines natos Sol illuxit. Anno enim MDCXI. Ecclesiasticum edidit auctoritati Jacobi Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis oppositum, qui liber, quod variis simul in Henricum IV. Galliæ Regem & alios Principes contumeliosis scateret, decreto summi Senatus Parisiis publica carnificis manu in cineres redactus est. Operæ pretium videtur, quædam hujus Ecclesiastici historiam concernentia, e libello parum obvio (*q*) huc transferre: *Nactus est* (Scioppius) *clam librum fratris Thomæ*

(*q*) Nimirum Eugenii Lavandæ (sive Melchioris Inchoferi Soc. Jes. vid. Placcii Theatrum Pseudon. f. 265.) Grammatico Palæphatio sive Nugivendo, An. 1639. in 12. edito, p. 38. sq. Notabile est, Jesuitæ huic p. 43. Scioppii Classicum Belli sacri æternis tenebris dignum esse visum. Ipse vero Scioppius id, quod imperantibus in Classico belli sacri seu Heldo redivivo suadere ausus fuit, Lojolitis vitio vertit in Infamia Famiani p. 158. sqq.

Thomæ Campanellæ Ordinis Dominicani, quem is de Monarchia Meſſiæ confecerat, atque alium ejusdem tractatum de rebus inter ſummum Pontificem & Remp. Venetam tunc controverſis: utrumque horum in plerisque ita depilavit, ac deinde grammaticis quibusdam commiſſuris & putridis ex ſua politica argumentis in novum centonem contra Sereniſſimum Angliæ Regem Jacobum elaboravit, ut gloriari auſus fuerit, divinum id opus eſſe, cui nomen Eccleſiaſtici *indidit. Hunc librum ſine cenſura & approbatione (ſecus quam præcipit Concilium Trid.) prope Auguſtam in pago quodam* Meitingen, *quem tamen pagum incognito vocabulo* Hartbergam *in fronte appellat, typis clancullariis ſubjecit, ac deinde in publicum emiſit. Videbatur ſibi non parum aſſurgere, quod contra Regem ſcripſiſſet, & jam quoque eccleſiaſtica tractare poſſet, nuperrime Grammaticus. Hinc ipſe ſibi plaudere ſub pelle leonis, mox in rugitum eniti diſputando: ſed detectus eſt primum a Carolo, ut ſcribitur, Fiorante, ſagaci Viro, & riſum aliis, aliis ſtomachum movit; vix tamen ex eruditorum corona ſalva pelle autor libri ſe in ſtabulum recepit, Pariſiis vero liber ipſe in fumum abiit.* Quo autem loco Jacobus Rex, quæ a Scioppio contra ipſum ſcripta erant,

habuerit, Berneggerus hisce (*r*) refert: *Ipsum quoque Sereniſſimi Magnæ Britanniæ Regis Jacobi nomen uſurpare Veſpillonis filius, bipedum poſtremiſſimus, perditorum perditiſſimus haud dubitavit: quod ille cum cognoviſſet, beluæ iſtius inſaniam veſaniamque demiratus, & ſæculi licentiam deteſtatus, qua abutens ille ſceleſtus, germen viperarum, fœtor orbis, ſpurcitia ſæculi, tantum eſt auſus, infamibus illis libellis abjectis, conſpectu ſuo ſe poſthac quicquam unquam fore dignaturum negavit, quod ab illa ſtrige & mendaciorum cloaca eſſet profectum.* Eodem anno contra laudatum Regem libellum famoſum h. t. *Collyrium Regium Britanniæ Regi graviter ex oculis laboranti muneri miſſum*, & anno ſequenti *Alexipharmacum Regium felli draconum & veneno aſpidum ſub Philippi Mornæi de Pleſſis nupera Papatus hiſtoria abdito, oppoſitum, & Seren. D. Jacobo Magnæ Britanniæ Regi ſtrenæ Januariæ loco muneri miſſum* (*s*) vulgavit: ſed temeritatem atque proterviam ſuam tergo graviſſime luit, Madriti A. MDCXIV. cum publice μετα πολλης

(*r*) L. c. p. 160. ſq.

(*s*) Vid. Bælii Diction. Art. SCIOPPIUS not. (F). f. m. 2553.

πολλης φαντασιας haud dubie, ut erat Vir faſtu turgidus & titulorum pompa ſuperbiens, incederet, juſſu Henrici Wottoni Oratoris Anglici ab ejus ſatellitibus miſere dedolatus, & vulneribus quoque affectus, cujus rei cauſa eum ſic exagitat (*t*) perſonatus Eugenius Lavanda: *Quid Hiſpane calleat Scioppius, haud ſcio; ſi quid tamen illius linguæ in ipſo fuit, tunc, opinor, exeruit maxime, quando in Hiſpania Anglice vapulavit, non intelligentibus, qui eum diverberabant, qua lingua vel dialecto ejularet: ſed neque Hiſpani eum facile perceperint ſuo ſermone tertiatim balbutientem, quem tanquam furvum hominem ex aſpectu vel eſſe reducem Maurum, vel reliquias Maurorum ex Hiſpania pulſorum ſuſpicari poterant.* Hac contumelia nondum depreſſus, ſed totus in rabiem verſus ſatiram mordaciſſimam in Angliæ Regem & ejus legatum Ingolſtadiæ A. MDCXV. in 12. nomine Oporini Grubitii aſſumto publicavit, eique titulum: Legatus Latro, indidit. Atque hos quidem quatuor illos libros eſſe opinor, quos ipſo fatente Scioppio (*u*), Angliæ Rex in foro exu-

(*t*) L. c. p. 26.

(*u*) In Pædia humanarum ac divinarum literarum. p. 25. conf. Bælium l. c. not. (H).

exurendos curavit, in Mimo tandem, seu Comœdiæ ludicro coram se acto personam ejus induci, hancque in ipsum pœnam statui faciens, ut faucibus fune elisis animam per inferiorem gutturem exploderet. In tantum vero Regem Vir maledicentissimus omnem deinde bilem suam eructavit in sacro horribilique libello, quo an ab orbe condito quidquam in lucem prodierit virulentius, valde dubito. En ejus titulum: *Is. Casauboni Corona Regia. id est, Panegyrici cujusdam vere aurei, quem Jacobo I. Magnæ Britanniæ &c. Regi, Fidei Defensori delinearat, fragmenta, ab Euphormione inter schedas τὰ μανιαρὰ inventa, collecta & in lucem edita MDCXV. Pro officina regia Jo. Bill. Londini.* Hunc enim librum, ob raritatem maximam in Ill. Christ. Thomasii Historia Sapientiæ & Stultitiæ (*x*) recusum, sub Casauboni & Euphormionis persona scripsisse atque edidisse Scioppium, non dubitabit, quicunque mordacissimum ejus stylum ex aliis illius scriptis cognitum habet. De hoc inter cætera P. Bælius (*y*): *Il ne se peut rien voir de*

(*x*) Tom. I. p. 125. sqq.

(*y*) In Artic. PUTEANUS, not. (F) f. 2398. conf. eundem in artic. SCIOPPIUS not. (G). f. 2553.

de plus ſatirique : jamais les plus méchans Princes ne furent plus maltraitez par un Ecrivain médiſant, que le bon Roi Jaques eſt déchiré là par le terrible Scioppius ; car il ne faut point douter que Scioppius ne ſoit l'Auteur de cette ſanglante Piece. Idem ex Bullarti Academia Scientiarum refert, Jacobum fœdere ſibi junctos Principes, ut in auctorem curate inquirerent, eumque, ſi detegeretur, juſta pœna afficerent, rogaſſe: nec dubium mihi eſt, hunc librum vere famoſum ab ipſo infami incendio, quo erat digniſſimus, damnatum eſſe, cum reliquos, idem fatum expertos, truculentia haud parum ſuperare videatur. Tantum licentiæ ſibi in Regem ſumſit Scioppius, *quælibet in quemvis convitia fingere ſævus.* Equidem id non adeo miror, cum Rex iſte fortiſſimus Romanæ Eccleſiæ oppugnator fuerit. Hoc vero me attonitum habet maxime, tantum ipſi medios inter Pontificios, immo in ipſa Italia, in Jeſuitas, Romanæ Sedis amaſios, licuiſſe. Nullum profecto ab ordinis ſui initiis ad hæc usque tempora Ignatiani Patres adverſarium experti ſunt Scioppio atrociorem. Odii irreconciliabilis, quo is in illos flagravit, cauſam Magnus Conringius in præfatione ejus Pædiæ Politicæ & Gabrielis Naudæi

dæi Bibliographiæ Politicæ, Helmstadii cum ejusdem argumenti aliis MDCLXIII. in 4. recusis præmissa, sic edisserit: *Suspicor pene, ut alia ita etiam hunc librum editum a Scioppio, quo Jesuitis ægre faceret, qui N. Machiavelli scriptis sacrum exilium in Romana curia procuraverunt, edita illa, perquam inepta licet, Antonii Possevini in Machiavellum censura. Olim sane ipse Scioppius inter probra Machiavelli doctrinam Danieli Eremitæ objectaverat in sua Oporinii Grubinii ficto nomine edita Amphotidum Mantissa: nondum plene ardens Jesuitarum odio. Jam tum enim quidem inter illos minus bene conveniebat, quod hic non dubitasset quædam Jesuiticæ disciplinæ, quantum ad humanitatis studia politioremque literaturam attinet, reprehendere, illi vero sua omnibus numeris perfecta & consummata venditantes æquis auribus haud excepissent reprehensiunculas: quin eapropter ex injuriis sibi factis Scioppius quidem prope ad gravissimas inimicitias cum quibusdam sociorum jam descenderat: quod Mantissa ipsa docetur. Verum hæ inimicitiæ nonnisi levia fuerunt exordia: quæ tempore creverunt tandem in odia plusquam Vatiniana, famosis utrimque publicatis libellis etiam in vulgus haud dissimulata. Etenim veluti Scioppio animus inquietus,*

quietus, elatus, neſcius cedere, ſagax vitiorum hoſtilium inquiſitor, eorumque in vindictam contumelioſus proditor: ſic Jeſuitis ex adverſo par indoles, ac potentia ſeſe ſuaque tuendi atque vindicandi imo & ladendi longe fuit maxima. Ab Alberto de Albertis in Vindiciis generalibus Societatis Jeſu (z) ſequentes libri partim ανονυμως partim ψευδονυμως in Jeſuitas ſcripti Scioppio tribuuntur.

I. *Catechismus Patris Schereri*, MS. tantum A. MDCXXXII.

II. *Actio Perduellionis in Jeſuitas S. R. Imperii hoſtes Auctore Philoxeno Melandro.* MDCXXXII.

III. *Flagellum Jeſuiticum.* eodem anno.

IV. *Colloquium inter Paulum V. Papam, Philippum Hiſpaniæ Regem, & Ferdinandum Archiducem Auſtriæ, ex Jeſuitarum Monacenſium & Ingolſtadienſium ſecretis conſiliis inſtitutum.* Anno jam MDCVIII. conſcriptum, ſed demum A. MDCXXXII. publicatum.

(z) Pag. 38. ſq.

V. *Mysteria Patrum Societatis Jesu.* A. MDCXXXIII.

VI. *Jesuita exenteratus* secunda vice editus. A. MDCXXXIII.

VII. *Anatomia Societatis Jesu.* A. MDCXXXIII.

VIII. *Consultatio Fr. Juniperi de Ancona Minoritæ.* A. MDCXXXIV.

IX. *Fr. Ludov. Soteli Relatio de Ecclesiæ Japonicæ statu.* Anno eodem.

X. *Alphonsi de Vargas Toletani Relatio.* A. MDCXXXV.

XI. *Arcana Societatis cum appendicibus utilissimis.* eodem Anno.

XII. *Astrologia Ecclesiastica.* Anno MDCXXXIV.

Priores sex libellos Germanico, posteriores Latino idiomate concinnatos esse idem memorat. In Monumentis Pietatis & literariis Virorum in Re publica & literaria illustrium (*a*) exhibetur indiculus librorum, quos Caspar Scioppius editioni paratos habuit, ab ipso A. MDCXXXIX. cum amico communicatus, quorum numerus ad CVI. adsurgit: eorum vero septua-

(*a*) Pag. 424. sqq.

ptuaginta tantum nominatim enarrantur, reliquis hoc duntaxat generali titulo indicatis : *Antipharisaica, hoc est, plusquam triginta lucubrationes in revelando, expurgando, & circumscribendo Pharisæorum ætatis nostræ fermento occupatæ.* Nisi omnia me fallunt, hisce Antipharisaicis illa scripta Anti-Jesuitica indigitantur, quorum catalogus, ab ipso Scioppio sub secreti fide amico datus, in Vincentii Placcii Theatro Anonymorum (*b*) extat. In iisdem Monumentis comparet etiam ejus Cygnea Cantio seu Prologus galeatus omnibus Antipharisaicorum Tomis conveniens, in quo præter alia exponit, quomodo intellecta velit, quæ in Jesuitas scripserit : nempe eorum duntaxat se agitasse mores, quorum ambitioni & avaritiæ, orbi universo notissimæ, fibulam imponi Ecclesiæ ac Reip. interfit ; non se postulare, ut omnes Societatis homines eorum affines credantur, quorum nonnullos insimulat, sed eos tantum, qui se plus Mutio Societatis Patriarchæ, quam Deo probare student, & in regno Mutii ad dextram & sinistram ejus sedere postulant, & impotentissimæ ejus ambitioni

(*b*) f. 365.

bitioni, aut aliorum Antistitum aviditati subserviunt. Cygneam vero istam, quam vocat, cantionem his obsignat: *Ecce in cœlo testis meus, & conscius meus in excelsis. Si quid in istis, quæ dixi, sciens fallo, obliviscatur mei tua, Christe, misericordia, & non sim in recordatione, sed conterar velut lignum infructuosum, Amen. Scripsi Patavii a sacrosanctæ Eucharistiæ communione domum reversus, die 27. Dec. anni a C. N. 1639. ætatis annum agens 63. mensem septimum.* Haud vero prorsus impune abierunt libelli a Scioppio in Lojolitarum ignominiam vulgati; nam & ipse ab iis vicissim acribus invectivis impetitus fuit, & illorum nonnulli Romæ in damnatorum librorum censum relati, alii vero, si Jesuitas audiamus, Madriti in Hispania solemni pompa in foro S. Salvatoris a carnifice in accensam pyram missi, ac flammis A. MDCXXXIV. aboliti sunt. Non alienum ab hoc loco erit, integra ejus rei acta ex Hispanico Latine a Laurentio Forero reddita e libro rariori (*c*) huc transcribere, cum inde innotescat, quibus

(*c*) Alberti de Albertis Generalib. Vindiciis Societatis Jesu adversus famosos Scioppii libellos. p. 531. sqq.

quibus ceremoniis ab Inquiſitione Hiſpanica libri incendio donari ſoleant.

Sacri Quæſitoris ſententia.

DOn Frater Antonius de Sotomayor, per gratiam Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Archiepiſcopus Damaſcenus, Inquiſitor Generalis in omnibus regnis & Dominiis ſuæ Majeſtatis ejus Confeſſarius, & de Conſilio Status &c.

Conſiderando plurimum intereſſe ut Religiones in veneratione ſint apud fideles, & ut euitentur occaſiones, quæ dare poſſunt motiua Hæreticis, qui ordinarie in ſuis ſcriptis illas traducere procurant, quum illæ ſint, quæ cum libertate Chriſtiana illorum falſa dogmata impugnant, totum ad majus Dei Domini noſtri obſequium, & ejus Eccleſiæ, quam adeo affligunt hæreſes horum temporum, pariterque deſiderando Unionem, pacem & concordiam Religionum, & ut omnimode ceſſent diſſidia periculoſa conſcientiis, quæque generale pariunt ſcandalum, magna cum læſione exiſtimationis eorum, qui occaſionem dant iſtis nouitatibus. Ideò utendo autoritate Apoſtolicà nobis conceſsà,

„ceſsà, tenore præſentium mandamus, ut „quæcunque perſona Eccleſiaſtica, vel Se„cularis horum Regnorum, cujuscunque „ſtatûs, conditionis, dignitatis, aut præ„eminentiæ illa ſit, quæ a die publica„tionis hujus noſtri edicti Religiones, aut „Religioſos taliter injuriauerit, ut offen„ſio ſeu injuria redundet in Religionem, „ſive dicta offenſio aut injuria a verbo fa„cta ſit ex pulpito, aut cathedrà, ſive ſcri„pto, aut quicunque ad id juverit, incur„rat in pœnam Excommunicationis ma„joris, declarando illum ex nunc, „uti illum declaramus, priuatum quo„cunque officio aut functione, quam ha„bebat ab inquiſitione inſuper inhabi„lem & incapacem ad ea retinenda, nec „poſſit ullo tempore in integrum reſti„tui, præter alias pœnas, & exemplares „caſtigationes, quæ conformiter juri in „transgreſſores executioni dabuntur, & ut „omnino ceſſent temerarii auſus hiſce die„bus deprehenſi in publicatione librorum „absque Authoris, Loci & Typographi no„mine contra Religionem Societatis Jeſu „ejusque inſtitutum, iis falſo imponendo „Leges & inſtitutiones politicas, indignas „ſua ſacrâ Religione animo (quantum ap-

paret

paret) illam infamandi, & exiſtimatio-„
nem ipſius apud fideles imminuendi im-„
pediendique fructum, quem facit in ſer-„
uitio Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ; ideo ad „
penitus abolendam memoriam, & ad ca-„
ſtigandos, quantum quidem fieri poteſt, „
in illis eorum Authores cum placito Do-„
minorum, qui ſunt de conſilio ſuæ Ma-„
jeſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis ſta-„
tuimus, ut publice comburantur, tam-„
quam impii, calumnioſi, & ab omni ve-„
ritate alieni; tractatus intitulatus: Sin-„
gulares & ſecretæ admonitiones &c. „
& alius, cujus titulus eſt: Admonitio-„
nes ſecretæ ad bene intelligentes, &c. „
& ille, qui nuperrime ſparſus incipit, „
verſu Græco, & mox ſubjungitur: Ma-„
giſter Franciſcus Roales, hoc eſt. Ma-„
nifeſtatio & Satisfactio in luce totius „
Eccleſiæ Sanctæ Dei &c. & in fine im-„
preſſis literis ſubſcriptus eſt: Magiſter „
Franciſcus Roales. Mandamus ſimili-„
ter ut deinceps nulla perſona Eccleſiaſti-„
ca nec ſecularis cujuscunque ſtatus, con-„
ditionis, qualitatis, dignitatis, vel præ-„
minentiæ ſit, illos imprimat, retineat, „
vendat, nec legat impreſſos, ſub pœna „
Excommunicationis majoris latæ ſenten-„

„tiæ,

„ tiæ, trina Canonica monitionè præmissa,
„ & quinquaginta ducatorum pro sumptibus
„ Sancti Officii, & sub iisdem Censuris,
„ & pœnis intra diem tertium publicatio-
„ nis hujus nostri Edicti, & cum ad noti-
„ tiam vestram pervenerit, ut illos trada-
„ tis, & exhibeatis Secretario infra scripto,
„ aut cuicunque Commissario Sancti Officii,
„ ut illos præsentet in Consilio suæ Maje-
„ statis Sanctæ Generalis Inquisitionis, &
„ deinde causa cognita provideatur de eo,
„ quod magis convenerit, tracteturque de
„ remedio tam grandium excessuum. Qui-
„ cunque etiam sciveritis alias personas,
„ quæ illos tractatus penes se habeant, id
„ dictis Ministris manifestare intra dictum
„ terminum, ex quo ad vestram notitiam
„ pervenerit, sub eadem pœna & Censu-
„ ris supra contentis, in quas nunc statim
„ incurrisse declaramus illos, quicunque
„ contrarium feceritis, intimantes, quod
„ contra inobedientes & rebelles nostris
„ mandatis ultra jam dictas pœnas proces-
„ suri sumus ad alias Juri conformes. Et
„ ne ulla persona prætendat ignorantiam
„ aut excusationem mandamus dari & da-
„ mus Edictum istud subscriptum nostra
„ manu, insignitum nostro sigillo, & regi-
stratum „

ſtratum à Secretario ſuæ Majeſtatis, & „
Conſilii infra ſcripti. Datum Madriti „
30. Junii Anno 1634. „

Frater Anthonius Archie-„
piſcopus Inquiſitor Generalis. „

Ex Mandato ſuæ Dominationis Illu-„
ſtriſſimæ: Licentiatus Sebaſtian de Huerta. „
Signatum a Dominis Conſilii ſuæ Maje-„
ſtatis Sanctæ Generalis Inquiſitionis, Or-„
tiz, Pacheo, Farinnas, Salazar, Frias, Za-„
pata, Iberra. „

Concordat cum Regiſtro meæ Se-„
cretariæ. „

EXECVTIO DECRETI IAM „ RECITATI. „

EGo Don Joannes de Mendoza Cano-„
nicus Sanctæ Eccleſiæ Cathedralis Le-„
gionenſis & Secretarius Sancti officii In-„
quiſitionis Toletani Teſtificor, & fidem „
facio quod die Jovis, feſtivitate Sancti Pe-„
tri Apoſtoli ſacra, nimirum vigeſima no-„
na Junii, Anni milleſimi ſexcenteſimi „
trigeſimi quarti hora ſexta veſpertina „

„convenimus in ædibus Domini Licentia-
„ti D. Joannis Dionysii Fernandez Porto-
„carreri, Inquisitoris Apostolici Regni To-
„letani, quæ sunt in platea vallis viridis
„hujus urbis Madridiensis, D. Joan. de
„Sancta Cruce primarius Judex dicti San-
„cti Officii Inquisitionis Toletani, & Lu-
„douicus Malo Familiaris dicti Officii & Præ-
„fectus Congregationis Ministrorum dicti
„Sancti Officii in hac urbe, & magnus nu-
„merus Familiarium. Cum omnes con-
„scendissemus equos, & dictus Præfectus
„cum vexillo dictæ Congregationis omnes
„in ordinem dispositi, præcedentibus tubis,
„& tympanis, & jumento clitellario coo-
„perto rubro holoserico, cui super impo-
„sita erat magna arca igneis flammis depi-
„cta, in qua gestabantur tractatus illi,
„qui per sententiam Dominorum Consilii
„suæ Majestatis Sanctæ Generalis Inquisi-
„tionis, nono Martii hujus dicti Anni
„sexcentesimi trigesimi quarti jubentur
„comburi, & antequam abiremus a porta
„ædium dicti Domini inquisitoris clarâ &
„intelligibili voce promulgatio facta est
„sequentis tenoris.

Publi-

Publicatur Executio hujus„ Decreti.„

NOtorium & manifeſtum ſit omnibus,„ quod Sanctum Officium Inquiſitionis„ contra hæreticam prauitatem & Apoſta-„ ſiam conſiderans auſus hiſce diebus pa-„ lam viſos, in publicatione librorum abs-„ que nomine Autoris, Loci, & Impreſſoris.„ Contra Religionem Societatis Ieſu, &„ ſua Sancta Inſtituta, iis imponentes„ falſo Leges & inſtitutionis Politicas„ tam ſacra Religione indignas animo„ (quantum apparet) illam infamandi, &„ exiſtimationem illius apud Fideles im-„ minuendi, & impediendi fructum,„ quem facit in Dei & Eccleſiæ ſuæ ſer-„ uitio; ad abolendam penitus illorum me-„ moriam, & ad caſtigandos, quantum„ quidem fieri poteſt in illis eorum Autho-„ res; mandavit ut Tractatus intitulatus:„ Singulares & ſecretæ admonitio-„ nes &c. Et alius, cui titulus eſt; Admo-„ nitiones ſecretæ ad bene intelligen-„ tes &c. Et ille qui nuperrime ſparſus„ incipit a verſu Græco, & mox ſubjungi-„ tur. Magiſter Franciſcus Roales: Hoc„ eſt. Manifeſtatio, & ſatisfactio in lu-„

„ce totius Ecclesiæ Sanctæ Dei &c. Et „in fine subscriptus est literis impressis „Magister Franciscus Roales. Publicè „comburantur tanquam impii, calumnio„si, alieni ab omni veritate, pleni detra„ctionibus contra quosdam Religiosos, & „tam Sanctam Religionem, bene meritam „de Ecclesia, cui tam nota & manifesta „præstat beneficia: id ut in notitiam ve„niat universorum, publicè publicari man„datur.

„Eadem Executionis for„ma in effectum deducta.

„PUblicatione peracta dicto ordine per„reximus per dictam plateam Vallis „viridis, & inde per illam de Fuencarral „pervenimus ad Sanctum Ludovicum, & „ad portam Solis & pergendo per plateam „majorem, & transeundo portam de Gua„dalaschara pervenimus ad forum Sancti „Saluatoris, quod forum urbis dicitur, in „quo parata erat magna strues lignorum, „juxta quam facta fuit altera publicatio si„milis priori, quâ factâ carnifex arcam ju„mento impositam demisit, eaque in su„pra dictam struem injecit dictos illos tra-

ctatus

ctatus, qui in ea geſtabantur, & mox„ ipſam quoque arcam, ſic ut cuncta ſimul„ fuerint combuſta. Quod ut omnibus„ conſtet, do iſtud teſtimonium nomine„ meo ſubſcriptum, & ſignatum ſigillo„ Sancti Officii Madriti trigeſima die Men-„ ſis Junii Anno CIↃIↃCXXXIV.„

Concordat cum teſtimonio, quod tra-„ didit Licentiato Sebaſtiano de Huer-„ ta Secretario Suæ Majeſtatis & Con-„ ſilii Sanctæ Generalis Inquiſitionis. „

L. S.„

Don. Joan. de Mendoza.„

Albertus de Albertis, cui hæc acta debemus per *ſingulares* illas *& ſecretas Admonitiones &c.* ea Madritienſi conflagratione abſumptas, ipſiſſimam illam *ſecretam Inſtructionem*, quam ſuæ Anatomiæ Societatis Jeſu Scioppius inſeruit, indigitari diſerte affirmat. Quicquid vero ejus ſit, non pigebit, ſpero, Lectores meos heic recognoviſſe illas rei geſtæ tabulas, quæ ſuperius, cum de Franciſco Roales diſſereremus, afferri a nobis debuiſſent. Cæterum cupide expectamus vitam Gaſp. Sciop-pii, cujus ſpem nobis publice fecit Clar.

Car. Henricus Langius in vita Nicodem. Frischlini studiose & erudite conscripta, ac superiori anno edita.

LXI.

Meminisse etiam hoc loco decet *Joannis SCOTI*, qui Erigena vulgo dicitur, revera, uti Petro Lambecio (*d*) videtur, Ivernigena & Hibernigena aut Jernigena appellandus, quoniam ex Hibernia, quæ a Ptolomæo Ivernia, a Strabone autem Jerne sive Jernia nuncupatur, oriundus fuit. Quum vero ea regio nonnullis mediæ ætatis scriptoribus Scotia dicatur, eundem Nicolaus I. P. M. in epistola ad Regem Francorum Carolum Calvum vocavit Scotum, quod ipsi cognomen ab aliis etiam impositum est. Ejus autem Viri, suo tempore celebratissimi, de Eucharistia liber, in eandem plane sententiam, quam Ratramnus Corbe-

(*d*) In Diario Itineris sacri Cellensis. f. 57. edit. Hamburg. recentissimæ a D. Jo. Alb. Fabricio curatæ. conf. Cave Histor. Liter. Script. Eccles. P. I. f. 385. & Jac. Usserii Historiam Gottesschalci Cap. 9. sunt, qui ex Æra, Scotiæ urbe, illum oriundum, hincque Erigenam dictum velint, quod verisimile etiam Celeb. Heumanno videtur in Act. Philos. Part. XVIII. p. 863.

Corbejenſis Monachus illo ævo defendit, ſcriptis, eique, quod tunc invaleſcebat, περὶ μετασιώσεως dogmati oppoſitus, in Synodo Vercellenſi damnatus, ac Romæ, ut nonnulli narrant, combuſtus eſt (*e*).

LXII.

Hunc excipiat, aliquot ſæculis illo ſuperior, SEVERUS, Patriarcha Antiochenus, Eutychianæ ſectæ ita quidem, ut quod a paradoxo prope abeſt, Neſtorium etiam Juſtiniani Imp. judicio in multis ſecutus ſit, aſſecla, atque adeo acerrimus Chalcedonenſis Synodi hoſtis, a Juſtino A. 519. ſede Antiochena dejectus, atque Juſtiniani Imp. edicto (*f*) poſthac anathemate perculſus, libris quoque ejus igni adjudicatis. Ipſa Imperatoris verba huc transferre operæ pretium videtur: *Univerſis interdicimus, aliquid de libris ipſius poſſideri. Et ſicut non licet Neſtorii libros ſcribere vel poſſidere (quia prædeceſſoribus noſtris Imperatoribus in ſuis*

(*e*) Vid. Herm. Conringii Antiquit. Academ. Supplem. p. 317. ſq.

(*f*) Authent. Coll. IV. Tit. XXI. Novell. XLII. Cap. I. §. 2. conf. Gretſer. de more & jure prohibendi libros malos Lib. I. C. XII. p. 66. ſqq.

constitutionibus visum est statuere similia his, quæ dicta & scripta sunt a Porphyrio in Christianos) sic nec dicta & scripta Severi maneant penes aliquem Christianum sed sint profana & aliena ab ecclesia Catholica, igneque comburantur a possidentibus, nisi, qui ista habent, velint periculum pati. A nemine ergo scribantur neque ad pulchritudinem neque ad velocitatem scribentium (i. e. calligraphorum & tachygraphorum), *sciendo quia amputatio manus his, qui scripta ejus scripserint, pœna erit. Neque enim voluimus in futuro tempore ex illis blasphemiam protrahi.* Addendum igitur est hoc decretum iis, de quibus Summe Reverendus Jo. Henr. a Seelen erudite, uti solet, in Themide Hæresium vindice, sive de Hæreticis in Corpore Juris Civilis rejectis & damnatis diatribe differit, quam peroportune a Celeberrimo Auctore cum aliis ejusmodi peregregiis commentationibus, eo mihi gratioribus, quo rarius alias in nostras oras penetrant, dono transmissam accepi, dum in eo essem, ut supremam huic dissertatiunculæ manum imponerem. Qua occasione Virum mihi faventissimum majorem in modum rogatum publice volo, ut nova ex hujus generis exquisitis dissertationibus

Selecto-

Selectorum literariorum volumina adornet, ac ſelecta etiam philologico-ſacra certis comprehenſa faſciculis junctim, ni grave ſit, edat, in certiſſimum rei ſacræ & literariæ incrementum.

LXIII.

Neque ſilentio nobis prætereundus eſt infelix ille *Michael SERVETUS*, cujus hiſtoriam nuper ſub auſpiciis Theologi & Polyhiſtoris conſumatiſſimi, D. Jo. Laurentii Moshemii, magni hodie Eccleſiæ noſtræ luminis copioſe & erudite enarravit Vir Doctiſſimus, Henricus ab Allwoerden Stadenſis, uberiorem ſimul de ejus eruditione, charactere animi, ingenio, amicis, adverſariis, confutatoribus, rariſſimo ejus, quem Reſtitutionem Chriſtianismi vocat, libro, doctrina, quam profeſſus eſt, aliisque commentationem pollicitus, quam mecum omnes hiſtoriæ literariæ & eccleſiaſticæ amantes avidiſſime excepturos eſſe perſuaſum habeo. Ejus de erroribus Trinitatis libros publice crematos fuiſſe a multis adhuc creditum eſt, ſed laudatus Allwoerdenius nullius bonæ notæ auctoris te-

ſtimonio id conſtare ait (*g*): de Reſtitutione autem Chriſtianismi, cujus operis omnium rariſſimi alibi jam meminimus (*h*) extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, magnam exemplorum ejus vim cum Serveti effigie Viennæ Allobrogum carnificis manu Vulcano traditam eſſe (*i*). Idem vero liber auctori etiam ſuo exitium potiſſimum peperit, & femori ejus alligatus una cum ipſo Genevæ A. MDLIII. in favillas abiit. Haud pauca quoque illius exempla Francofurti ad Moenum, privatim an publice incertum, Calvino inſtigante igne conſumta fuerunt.

LXIV.

Quum Eliſabetha Anglorum Regina A. MDLXXXI. conſilia de nuptiis cum Franciſco Duce Andegavenſi, Henrici III. Galliarum Regis fratre, ineundis, vel ſerio vel ſimulate tantum agitaret, haud defue-

re,

(*g*) Pag. 164.
(*h*) Tom. II. p. 351. Tom. VIII. p. 378.
(*i*) Vid. Alwoerdenii Hiſtoriam Michaelis Serveti p. 55. ſqq. ubi ipſum Senatus Viennenſis decretum integrum exhibetur: confer omnino p. 199. ſqq. ubi fuſe de hoc libro diſſeritur.

re, qui iſtiusmodi matrimonium Angliæ pernicioſum maxime judicarent, inque lucem exiit liber aculeato ſtylo contra has nuptias ſcriptus, h. t. *Vorago, qua Anglia Gallico connubio abſorbenda*: in quo multa conſiliariis, nuptiis faventibus, ipſi Reginæ, & præcipue Duci Andegavenſi ac Gallicæ nationi ignominioſa tradebantur. Hujus libri editionem indignata Eliſabetha, non ſolum publico edicto de eo graviter conqueſta eſt, verum etiam ab omnibus ejus exemplaria, propoſita gravi poena, repetiit, coramque magiſtratu igne abſumi juſſit. In auctorem vero, *Joannem STUBBUM*, tanquam ſeditionis ſtimulatorem, quem Guil. Camdenus ex Lincolnienſi Juris Collegio fervidum religionis profeſſorem vocat, Guil. Pageum, qui exemplaria diſperſit, & Singletonum typographum ſententia lata, ut dextræ iis præciderentur. Typographo equidem poena remiſſa, Stubbo autem & Pageo dextræ cultro laniario, vi mallei in carpum adacto, amputatæ ſunt ad pegma in rerum venalium foro Weſtmonaſterii. *Memini*, verba ſunt Camdeni (*k*) *qui præſens aderam, cum Stubbus,*

(*k*) In Annalibus rerum Anglicarum & Hibernicarum regnante Eliſabetha Part. III. 367. edit. Elzevir.

bus, dextra abscissa, sinistra caput nudaret, & clara voce diceret, Vivat Regina; multitudo circumfusa omnino obticuit, sive ex hujus novi & inusitati supplicii horrore, sive ex commiseratione in hominem famæ integerrimæ, sive ex odio nuptiarum, quas religioni exitiosas futuras præsagierunt. Quædam heic, quæ Camdenus reticuit, vel paulo aliter narravit, ex Huberti Langueti epistola ad Augustum Sax. Electorem Antwerp. d. 14. Nov. A. 1579. (*l*) data adjicere juvat: *Scripsi ad V. Celsitud. fuisse in Anglia aliquos conjectos in vincula ob librum scriptum, in quo monebant populum, ne consentiret in conjugium Reginæ, de quo jam agitur: illud enim fore perniciosum Reip. Regina mandavit judicibus, qui de criminibus cognoscunt, ut secundum leges in eos animadverterent. Judices suo officio functi tandem sententiam adversus eos tulerunt, qua decernebatur, ut authoribus libri (erant enim duo) dextræ amputarentur, & typographo, a quo impres-*

(*l*) Vid. Langueti Epistolas Secretas ab illustr. Jo. Petro de Ludwig Halæ Ann. 1689. in 4. editas, Part. II. p. 804. conf. p. 799. Perscripsit autem hæc Languetus ad suum Principem A. MDLXXIX. mense Oct. & Nov. cum Camdenus ad An. MDLXXXI. ea referat.

impreſſus fuerat, auricula. Ubi hæc audivit Simerius Alenconii legatus, properavit ad Reginam, & pro miſeris iſtis hominibus interceſſit, petens, ut ſaltem executio ſententiæ ſuſpenderetur; nam ſperabat, Alenconium ſua interceſſione eos liberaturum, & ea ratione apud Anglos conſecuturum laudem clementiæ & moderati animi. Viſus eſt Simerius impetraſſe quod petierat: nam per aliquot dies ſuſpenſa eſt ſententiæ executio, poſtea tamen Regina mutato animo juſſit, ut in reos animadverteretur, qua re populum graviter offendit. Alter ex authoribus libri fuit ortus nobili familia, & fuit inſigniter doctus ac omnibus charus ob pietatem ac humanitatem. Is poſt amputatam dextram duas aut tres tantum horas ſupervixit.

LXV.

Eo tempore, quo propitii Numinis gratia & beati Lutheri miniſterio ſaniora orbi dogmata feliciter reſtituta ſunt, coelicæ etiam veritatis radiis illuminatus fuit *Caſpar. TAUBERUS*, civis Vindobonenſis, agnitam veritatem non ore duntaxat & mente, ſed ſcripto quoque profeſſus, ea quidem conſtantia, ut, quæ multorum illa

ætate

ætate piorum sors fuit, sacram fidem cruore etiam suo sanciret, & Salvatorem fuso testaretur sanguine,

Dulce caput patiens propria cervice revelli,
Christum animo nunquam.

Liber ejus cum aliis illius generis flammis simul absumtus, & corpus cum amputato capite in favillas redactum fuit. Rem omnem prolixius in suo Martyrologio (*m*) B. Ludovicus Rabus exposuit.

LXVI.

Magnum jure ab æquis rerum æstimatoribus historicis incomparabilis *THUANI* operibus statuetur pretium, dum integritas fidesque in narrando inter probati historiographi virtutes locum habebunt. Multis vero jam olim laudabilis ille Viri Summi candor valde displicuit, effecitque, ut non paucis ea locis mutilarentur, quæ auctori reddita postliminio fuere in Thuano restituto,

(*m*) Tom. II. Lib. IV. Cap. XX. f. 398. sqq. edit. Argentor. 1572. in fol.

reſtituto, ſive Sylloge locorum variorum in hiſtoria Illuſtriſſimi Viri Jacobi Auguſti Thuani hactenus deſideratorum, Amſtelodami A. 1663. in 12. typis exſcripta, ita tamen, ut, licet ejus opuſculi editor multa, quæ adverſariorum fraude ſuppreſſa, deleta ac mutata ſunt, collatis inter ſe editionibus ac manu etiam ſcriptis, diligenter animadverterit, complura adhuc reſtent Groſchufii judicio (*n*) ſpicilegia colligenda, nec rem accurate ubique ſit perſecutus, cum neque eas ipſas editiones, quas collatas a ſe adfirmavit, ad amuſſim omnes exploraverit, & complures neglexerit vel non habuerit, quæ conferri ad reliquas omnino merebantur. Nec tamen illa in mutilando ſolertia plene ſatisfactum fuit Hiſpanicis Inquiſitoribus, qui longe plura inde expuncta, primique libri initio præterea hunc anti-

(*n*) In Præfat. Novæ librorum rariorum collectionis p. 29. ſq. Commendari meretur Jo. Petri Titii voluminum Thuani hiſtoricorum Recenſio, Gedani A. 1685. in 12. edita, quam in compendium redegit notisque illuſtravit idem Groſchufius l. c. p. 191. ſqq. In Bibliotheca Ill. Menkenii extare Addenda ad hiſtoriam Thuani & delenda, e MS. Bibliothecæ Tellerianæ Gall. deſcripta, ex ejus Catalogo p. 835. edit. II. didici.

antidotum voluere adjectum (*o*): *Totum hoc opus historiarum Thuani cautissime & cum judicio legendum, eo quod multa honorifice ab ipso in favorem Protestantium dicantur.* Hinc scilicet illæ lacrymæ! Quin Romæ opus istud, cedro dignissimum, flammis succubuit, si fides habenda Adamo Conzen Soc. Jes. scribenti (*p*): *Augustinus Thuanus mala fide historiam scripsit, omnium Francorum judicio, & Libri illius Romæ Vulcano traditi sunt; non igitur ejus auctoritas Societati præjudicio esse debet, cui opponimus omnium nationum Catholicos scriptores.* Aut cuncta vero me fallunt, aut Conzenius historiam hanc, de qua tam inique judicat, nunquam legit; nam alias forte in prænomine Viri famigeratissimi haud errasset (*q*) Sed invisum est Jesuitis Thuani nomen, quem ejusdem familiæ sodalis Balthasar Alff (*r*) juratum & capita-

(*o*) Vid. Bern. de Sandoval Indic. Librorum Prohib. & Expurg. p. 576.

(*p*) In Disceptatione de Secretis Societatis Jesu, p. 40.

(*q*) Eundem errorem & p. 32. erravit.

(*r*) In P. II. Apolog. pro B. Maria p. 179. cit. Vener. Abb. D. Jo. Fabricio in Historia Bibliothecæ suæ. Part. III. p. 52.

pitalem Societatis ſuæ clam palam hoſtem appellat. Fuit vero & poſt ſummi Viri fata ejus candor filio natu maximo Franciſco Auguſto Thuano pernicioſus, capitisque illi ſupplicium Lugduni Anno MDCXLII. ſi Patinum aliosque audiamus, peperit. En Patini (*s*) verba: *L'Hiſtoire de Mr. le Preſident de Thou eſt belle & plus que belle: mais elle déplût ſi fort au Cardinal de Richelieu, qu'il en fit perdre la vie au fils aîné de l'Auteur qui étoit un fort honnête homme, & cela pour un paſſage d'Antoine du Pleſſis de Richelieu, qui eſt dans le I. Tome ſous François II. l'an.* 1560. *aprés qu'il a parlé de la conſpiration d'Amboiſe, où fut tué la Renaudie qui en étoit le Chef, & qui par ſa faute fut lui-même la cauſe de ſon malheur & de pluſieurs autres: ce paſſage commence ainſi, Antonius Richelius vulgo dictus Monachus &c.* Idem alibi (*t*) elegans hoc & acutum in illius necem Anonymi epigramma exhibet, & heic legi dignum:

(*s*) Vid. ejus Lettres Choiſies Tom. I. p. 379.
(*t*) Vid. ejus Lettres a Charles Spon. Tom. I. p. 11. coll. p. 8. & 16.

Historiam quisquis vult scribere, scribere veram
Hunc vetat exitium, magne Thuane, tuum.
Richeliæ stirpis proceres lassisse, paterni
Crimen erat calami, quo tibi vita perit.
Sanguine delentur nati monumenta parentis,
Quæ nomen dederant scripta, dedere necem.
Ingeniis tanto est sancita cruore tyrannis;
Vera loqui si vis, discito sæva pati.

Cæterum Celeb. Schurzfleischium in discursu literario MSto. (*u*) ad Heinsii Catalogum commemorantem, Thuanum restitutum Ingolstadii excusum, inque Gallia jussu Regis combustum esse, erravisse haud ambigo. Ingolstadii enim, ubi Patres Ignatii magna auctoritate pollent, illiusmodi libros prælo subjici verisimile non est. Memoriæ igitur lapsu pro personati Jo. Baptistæ Galli Notationibus (*x*) in Thuani Historia.

(*u*) Quem allegat Groschufius l. c. p. 29.
(*x*) Quas recensuit Groschufius l. c. p. 377. sqq.

Hiſtoriarum libros Vir eximius modo dictum libellum nominaſſe videtur. Hæ namque notationes & Ingolſtadii excuſæ, & tanquam ſchedæ infames ac mendaciis pleniſſimæ ex decreto Pariſienſis curiæ manu carnificis exuſtæ ſunt.

LXVII.

Primus TRUBERUS, primus in Carniola à repurgata Dei beneficio per Lutherum eccleſia veritatis evangelicæ præco, varia in Sclavonicum ſermonem a ſe converſa, & partim Cyrulicis, partim Glagoliticis, partim Latinis characteribus expreſſa edidit, quorum pleraque in noſtra Bibliotheca publica ex ipſius Truberi dono, cujus effigies aurata, nec non Antonii Dalmatæ & Stephani Conſulis ejus συνεργων ligaturis impreſſa eſt, extant, ut adeo non dubitem Memmingenſes quoque meos laudabile illud inſtitutum ſuis ſubſidiis promoviſſe. Sed hæc aliaque Lutheranorum ſcripta Labaci A. 1601. publice in rogum fuere injecta, pulſis ſimul varieque vexatis Evangelicæ veritatis confeſſoribus (*y*), cum

(*y*) Vid. Illuſtriſſ. Jo. Weichard Valvaſſor *Ehre des*

antea jam Anno 1547. Primi Truberi, in exilium tum ejecti, sed posthac ab Ordinibus Carniolanis in patriam revocati Bibliotheca incendio tradita fuisset (*yy*). Reliquiæ vero Evangelicorum librorum in Carniola & Carinthia A. MDCXXV. jussu Ferdinandi II. Vulcano destinatæ sunt. Ita enim ille in instructione Commissariorum (*z*) pro reformatione religionis in principatibus Carinthiæ & Carniolæ inter cætera : *Cum notorium sit, sub istis hactenus exercitatis inobedientiis multos prohibitos sectarumque scatentes libros latere, damus nostris Commissariis potestatem, ac simul volumus, ut sub expressa gravi pœna (quam judicio ac discretioni nostrorum Commissariorum relinquimus) hujus farinæ libros deposcant: quos si forsitan aliquis promere benevole denegaret, potestate suæ commissionis ac nostri injuncti ac traditi mandati, abreptos publice igni comburi*

des Herzogthums Crain. Tom. II. Lib. VII. Cap. XIV. f. 468. quanquam enim hic expressa librorum Truberi haud instituatur mentio, dubium tamen non est, plurima eorum exempla hoc incendio periisse.

(*yy*) Vid. l. c. Cap. VIII. f. 432.

(*z*) Vid. Decreta, Diplomata & Privilegia, quæ Carolus Carafa Commentariis suis de Germania Sacra restaurata adjecit. p. 136.

buri faciant. Quia vero libri hiſtorici a ſectariis ſcriptoribus compoſiti per multas ſæpenumero excogitatas narrationes contra noſtram Catholicam & Apoſtolicam religionem, illique addictos Theologos, ac ſuperiores, in lucem depromunt, ac ea de cauſa legendos ſuprema eccleſiaſtica authoritas interdicit: noſtri Commiſſarii tales libros in Concilio Tridentino ejusdemque Catalogo annotatos, prohibitos ſectarios, vel alios peſſimos contra bonos mores, nullo modo permittant: ſed contra illos, qui vel ipſi habent, vel ab aliis haberi ſciunt nec patefaciunt, ſeverius tamen contra illos, qui ſimiles in futurum in provincias portare, vendere, vel aliter negotiari cum illis contumaci modo conarentur, ſeveriſſimis pœnis omnino procedant. Caterum in combuſtione librorum animadvertent, ne ante transmiſſum ad Clagenfurtenſe Patrum Societatis Jeſu Collegium illorum catalogum comburantur.

LXVIII.

Pariſiis A. MCCCXLVIII. *Nicolaus de Ultricuria* juſſu Univerſitatis ſexaginta articulos de rebus philoſophicis & theologicis a ſe propoſitos, & a Sede Romana

damnatos publice revocavit, eosque falsos & hæreticos agnovit: libelli autem ac epistolæ, quibus ii continebantur, igni traditæ fuerunt, teste Henrico Spondano (zz).

LXIX.

Mirabitur & obstupescet sane posteritas tristissima fata, quibus nostro sæculo indignissime jactatus & tantum non oppressus est antiquæ nobilitatis vir *Sigismundus UNRUGIUS* ob librum miscellaneorum in privatos usus conscriptum. Ea meis verbis persequi non ausim, ne fando inaudita referens, quædam in aliorum opprobrium ex me fingere videar. En ergo Tibi relationem anonymi, ad Sorbonnam Parisiensem missam (a) ut de tota re judicium ferret: *Titius* (Illustr. Unrugius) *Vir nobilitate generis & opibus florens, inde a primis*

(zz) In Annalium Eccles. Baronii Contin. Tom. II. ad Ann. 1348. Num. XIV. f. 498.

(a) Quæ exhibetur cum Responso Sorbonnæ Parisiensis *in dem Send-Schreiben von dem Zustand und Drangsalen der Dissidenten in Pohlen und Lithauen*, p. 106. sqq. ibidem a pag. 32. ad. pag. 98. integra ejus rei acta leguntur.

primis studiorum academicorum & suscepta per nobiliores Europæ regiones peregrinationis annis, librum collectaneorum Miscellaneorum penes se habere consueverat, cui memorabiliora quæque theologica, politica, seria, jocosa, etiam satirica, sive lecta, sive audita, nullo ordine, sed prout quæque sese offerebant, inscribere erat solitus. Erant inter hæc nonnulla ex Platina de vitis Pontificum excerpta, nec non quædam a variis auctoribus in monachos, ac cumprimis in Socios Jesu falsè dicta &c. Inter alia extabat ibi excerptum ex libro Gallico, l'Esprit des Cours pour l'Année 1709. Mois de Septembre pag. 585. his verbis:

La verité salutaire, n'est elle donc descendüe du Ciel, que pour être aux habitans de notre Globe une occasion perpetuelle d'erreur, de guerre, de haine, & des divisions?

Hæc verba, quæ aliquid verbis Christi Matth. 10. vers. 34. & Luc. 12. vers. 51. &c. affine sonare videntur, animum Titii ita tunc feriebant, ut locum ipsis in collectaneis suis daret. Accidit autem, ut Titio ad conventum in patria publicum profecto liber ille collectaneorum, incertum quo casu, amissus,

in Sempronii cujusdam, Viri nobilis (Andreæ Potoky) *manus incideret, qui inde Titio coram Tribunali Regni* (Petrocovienſi) *actionem ex capite blaſphemiæ intentavit. Interea Epiſcopus loci Ordinarius* (Poſnanienſis) *judicium de libro illo juxta conſtitutionem Concilii Tridentini ſibi deberi prætendens, Sempronio ad Officium Epiſcopalis judicii citato mandavit, ut librum ſibi, ceu Judici competenti, examinandum extraderet; cui mandato cum Sempronius, etiam poſt repetitas citationes, parere renueret, Epiſcopus eum, ceu refractarium & contumacem, excommunicationis pœnæ ſubjecit; Tribunali inſuper per litteras ſcriptas monito, ne cauſam ad Officium epiſcopale pertinentem admitteret. Sempronius ejus rei nulla ratione habita, præſertim cum, non obſtante excommunicatione, ipſa a Patribus Societatis* (Jeſu) *ad ſacra admitteretur, actionem in Tribunali proſecutus eſt, ubi cum pro Titio allegaretur;*

Ipſum nullatenus ex odio erga fidem Romano-Catholicam, neque ea intentione, ut liber ille typis ederetur, ſed mere ex curioſitate & in memoriæ ſubſidium, ex variis auctoribus iſta in pagellas ſuas bona fide conjeciſſe: quod

quod ſibi fraudi haud eſſe debeat, cum in ipſa S. Scriptura alienæ blaſphemiæ hiſtorice annotatæ reperiantur, e. g. 3. Reg. 20. vers. 23. 28. 4. Reg. 18. vers. 34. 35. Matth. 8. vers. 29. Matth. 27. vers. 39. &c.

Tribunal tamen decrevit, ad convincendum Titium, actorem Sempronium cum ſex teſtibus ad juramentum admittendum eſſe, quo probatum daretur:

Quod Titius librum in Deum & fidem Catholicam blaſphemum deliberato propoſito conſcripſerit, adeoque mortis reus ſit.

Simulac hæc ſententia lata fuerat, extemplo Sempronius & ſex ab ipſo adducti teſtes in atrio judiciali juramentum juxta formulam præſcriptam præſtiterunt; eoque facto, nulla mora interpoſita, Judices, nixi cumprimis verbis ſuperius deſcriptis: La verité ſalutaire &c. (quæ, quod auctoris locum non eſſet adſcriptus, propria Titii verba eſſe videntur arbitrati, quæ ſola etiam in decreto lato tanquam principale condemnationis fundamentum allegantur). Titium, ceu blaſphemia convictum, capitis reum pronunciarunt, ita quidem,

Ut dextra manus abscissa igni traderetur, lingua per cervicem extracta præcideretur, caput denique amputaretur; bonorum autem universorum altera quidem pars fisco regio, altera actori cederet; utque liber Titii Manuscriptus infamibus flammis exureretur.

Id quod, Titio quidem absente, quoad librum MS. statim executioni datum fuit, exusto simul Platinæ libro de Vitis Pontificum, & aliis quibusdam, e quibus Titius nonnulla excerpserat.

Hæc omnem profecto fidem superare videntur: unde haud adeo mirum, Sorbonicos Doctores, cum hic casus illis ad decidendum traderetur, ei tanquam fictitio, impossibili & Christiano nomine indigno fidem habere, eumque examinare noluisse, sibi imponi atque insidias strui reputantes, donec tandem de veritate certiores fierent. In responso (*b*) igitur A. 1717. d. 25. Julii dato hanc tulere sententiam, *judicio adversus Titium lato jus omne sive divinum*

(*b*) Exhibetur illud l. c. p. 111. sq.

vinum ſive humanum apertiſſime violatum eſſe. Nec immerito Diſſidentes, qui vocantur, in Regno Poloniæ & magno Ducatu Lithuaniæ in libello ſupplici Potentiſſimo Poloniæ Regi Auguſto II. ut & congregatis in Comitiis Regni A. 1718. Reip. Ordinibus exhibito (*c*) illius in Unrugium decreti mentionem habentes inter cætera his verbis uſi ſunt: *De cujus rei fide ſi poſteritas aliquando dubitaverit, id ignoſcendum erit; nam nos ipſi oculis auribusque noſtris viſa & audita vix credimus; quin inter Chriſti nomen profeſſos talia geri poſſe ſtupeſcimus.* Iidem ergo in eo ſupplici libello (*d*) præter alia humillime petierunt, ut decretum Tribunalis Regni A. 1715. menſe Novembri contra omnium teſtimonio innocentem Generoſum Sigismundum ab Unrug latum, reſcindatur, ille vero ipſe quoad honorem, libertatem & fortunarum uſum in integrum reſtituatur.

LXX.

(*c*) Qui inſertus eſt Bibliothecæ Hiſtor. Philol. Theologicæ Bremenſ. Claſſ. III. Faſc. IV. p. 678. ſqq.

(*d*) l. c. p. 696.

LXX.

Ex decreto ejusdem supremi in Regno Poloniæ Tribunalis Petricovienſis Schediaſma *Samuelis Friderici WILLENBERGII*, Juris Doctoris & in Athenæo Gedanenſi Profeſſoris, de finibus Polygamiæ licitæ publico diſputantium examini A. 1712. d. 22. Apr. ſubjectum, ad rogum damnatum, & exemplar illius per carnificem in loco triviali fori Civitatis Petricovienſis cum iteratis ejusdem Vindiciis pro eo ſchediasmate contra D. Joach. Weickmannum Theologum Gedanenſem editis ad ſonitum tubæ flammis ſulphureis traditum, ac D. Willenbergius cum Reſpondente ſuo Nicolao Torner, atque Opponentibus Friderico Reyger & Carolo Erneſto Pegelau Gedanenſibus ad pœnam infamiæ, liberæ captivationis, ſtrangulationis & in rogo combuſtionis condemnatus fuit, Magiſtratui ſimul ac Civibus Gedanenſibus poena centum millium aureorum Hungaricalium indicta, ſi non omnia exemplaria illorum ſcriptorum confeſtim conquiſiverint, eaque itidem per carnificem ad ignem condemnaverint, ac præcaverint, ne tales libelli in poſterum imprimantur.

mantur. Sed neque atrociſſimæ illæ poenæ de D. VVillenbergio, qui poſtea quoque in eodem Athenæo cum honore docuit, & cæteris ſumtæ, neque ejus ſcripta a Magiſtratu Dantiſcano, quod ſciam, ad ferales ignes condemnata fuere, cum Tribunal Petricovienſe jus in civitatem Gedanenſem, adverſus quam in illo decreto dictatoria quadam auctoritate inſurrexit, haud habeat. Prodiit deinde Conſtantini Wiernowsky (ipſius forte Willenbergii) Conſideratio inculpata hujus decreti Tribunalis Petricovienſis in Polonia, Varſaviæ uti titulus fert, A. MDCCXV. in 4. impreſſa, nec non perſonati Franciſci Dieterici Freudenhoeferi ſcriptum illud Germanicum, cujus in ſuperiori hujus opellæ tomo (*e*) titulum exhibui. Hiſtoria vero hujus controverſiæ enarratur a J. A. E. *in unpartheyiſchen Gedancken über den bisherigen Wort-Streit Herrn D. Weickmanns mit Herrn D. Willenberg in der Materie von der Polygamie: wobey zugleich der ganze Streit von Anfang bis auf gegenwärtige Zeit aufrichtig erzehlet, und gründlich erwieſen wird, das Herr D. Willenberg klüglich handele, wann*

(*e*) Pag. 390.

wann er seinem Gegner nicht mehr antworte. Francof. 1716. in 4. Nostrum jam est, D. Willenbergii sententiam, ob quam in ejus scripta Tribunal Petricovienſe fulmina illa emisit, ipsius (*f*) verbis exponere. Statuit nempe, *in omni orbe Christiano rectissime Polygamiam simultaneam prohibitam esse, eamque etiam omni tempore prohibitam manere debere, fontem tamen hujus prohibitionis non esse jus divinum sed humanum, conscientias subditorum aque ac jus divinum ad observantiam obligans, ne quid moliantur, contra illud clandestinis nuptiis, ob Dei ordinationem, qui in his terris Reges & Principes vicarios suos fecit, illisque media concessit, ad regendum populum, quæ inter leges quoque sunt. Interim Principibus hoc jus asserendum esse, quod possint circa Polygamiam in uno vel altero casu ex sonticis causis dispensare.*

LXXI.

Optime de Anglorum historia literaria *Antonius a WOOD* promeritus est dupli-

ci

(*f*) In Iteratis Præsidiis Juris divini pro defensione Thesium suarum de Polygamia simultanea, D. Joach. Weickmanno oppositis, Cap. I. §. 2. p. 1. sq.

ci opere, Hiſtoria nempe & Antiquitatibus Univerſitatis Oxonienſis, ac Athenis Oxonienſibus. Quum vero juratus Presbyterianorum omniumque Nonconformiſtarum, quos vocant, hoſtis fuerit, ubique de iis & aliis quoque viris præſtantibus iniquius fert judicium, Pontificiis inſuper paſſim palpum obtrudens. Hinc non grata ſolum minus fuerunt præcipuis Anglicanæ eccleſiæ luminibus iſthæc opera, verum etiam nominatim Athenæ Oxonienſes gravem cenſuram expertæ, ob biographiam præſertim Eduardi Hyde Comitis de Clarendom, in qua multa acerbius ſcripſiſſe videbatur. Folia igitur illa, quibus ea continetur, flammis (*g*) publica auctoritate mancipata fuerunt. Sunt &, qui integrum ejus Operis Tomum II. eam fortunam eſſe paſſum perhibeant (*b*).

LXXII.

Breviter jam aliquot hujus generis libros, de quorum auctoribus non conſtat, enarra-

(*g*) Vid. Lexicon. Univerſale Hiſtoricum & Geographicum Baſileenſe. Tom. IV. f. 920.

(*b*) Vid. *das Gelehrten*-Lexicon in art. *a Wood* (Anton.)

enarrabimus. De nonnullis in Elisabetham Angliæ Reginam injuriis, hæc ad Annum 1593. Guil. Camdenus (*i*) habet: *In lucem hac tempestate prodierant in Germania famosi contra Elizabetham libelli, quasi Turcam ad bellum Orbi Christiano inferendum excitaret, & literæ, quas ad Turcam dederat, fide pessima plurimis immutatis & additis contumeliosis, etiam calumniis malitiose & falso convictis divulgatæ. Illa has calumnias misso ad Imperatorem nuncio ita eluit, ut libri fuerint interdicti, & exemplaria Pragæ combusta; operamque suam omnem detulit, & certe navavit, ad Turcam amoliendum, quod Imperator lubens agnovit.*

LXXIII.

Scripta quædam, occasione Concilii Mantuam ad d. 23. Maji A. MDXXXVII. primum indicti, ac deinde ad Kal. Novembr. prorogati olim evulgata in Bibliotheca Bremensi (*k*) recensuit Irenæus Biblio-

(*i*) In Annal. Rerum Anglic. & Hibern. regnante Elizabetha. p. 648.

(*k*) Class. VIII. p. 520. sqq. conf. si lubet, quæ ego ad Virum Optimum de hoc argumento Tom. VII. hujus opusculi p. 251. sqq. perscripsi.

bliophilus, vel potius Fridericus Jacobus Beyſchlagius, Vir doctiſſimus, & multis nominibus jam de re literaria præclare meritus, mihique amiciſſimus. Iis addi omnino debet libellus *de Conjuratione Papiſtarum*, VVittembergæ primum An. MDXXXVII. typis exſcriptus, ac poſtea Regiomonti Ann. MDLVII. in 8. cum præfatione Vergerii recuſus. In eo enim auctor demonſtrandum ſibi ſumſit, Concilium Pauli III. auſpiciis Mantuæ celebrandum minime fore liberum, cum Epiſcopi aliique ei interfuturi rigidis juramentis Pontifici Maximo obſtricti, ad ejus ſe nutus plane componere teneantur. Hunc in finem ſolennes juramenti formulas, quibus ſummorum in Theologia ac Jurisprudentia honorum Canditati, Notarii item a Papa creati, ac Epiſcopi denique fidem ei ſuam addicere coguntur, adſperſis ſuis annotationibus, adfert. Dabimus libelli rarioris initium: *Cum Paulus hujus nominis tertius Pontif. Rom. Concilium generale hoc anno, qui eſt a nativitate Domini MDXXXVII. Mantuæ celebrandum indixerit, animadverto nonnullos ſimplices homines magnam ſpem Eccleſiæ reformandæ, ſinceriorisque doctrinæ reſtituendæ concepiſſe, quos ta-*

men pro sua simplicitate rerumque imperitia miserabiliter errare, ac periculose falli nequaquam dubito. Nam omnes ubique fere Juris & Theologiæ Doctores, item Notarii, Abbates, generales Vicarii, Ministri & Magistri Ordinum, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ & Cardinales omnes usque adeo Romano Pontifici addicti, & in obedientiam atque servitutem illius juramentis horrendissimis ac palam impiis adacti & constricti tenentur, ut sperandum non sit, quenquam ex eis pro Christi gloria, Evangelii veritate, Ecclesiæ puritate ac animarum salute serio laboraturum. Idque propter infinita pericula, quæ illis imminerent, si vel suspicione aliqua contemti aut neglecti juramenti adspergerentur. Quum vero hicce libellus in Petri Pauli Vergerii, Pauli III. tum in Germania legati, manus incideret, isque illo suis pro Concilio Mantuano nostris Principibus suadendo machinationibus obicem poni facile perspiceret, quotquot ejus inveniri potuerunt, exempla conquiri, atque in ignem conjici jussit. Sed idem posthac veritati victas præbuit manus, atque ipse, ut officio delictum pensaret, libellum, quem antea penitus abolere annisus fuerat, vitæ ac luci restituendum Regiomonti

giomonti A. MDLVII. præfatione zelum ſpirante præmiſſa curavit (*l*).

LXXIV.

Anno MDCXVII. Ultrajecti Belgico idiomate prodiit liber, *Tabellæ* nomine inſignitus, in quo Reformatorum doctrina cum Turcica & Manichæa comparatur. Is autem ſententia Curiæ Geldricæ Arnhemii ad infamem rogum ablegatus fuit (*m*).

LXXV.

Quantis animorum motibus cauſa Quenelliana in Gallia potiſſimum ſuperiori vergente & hoc, quo jam vivimus, ſæculo agitata ſit, omnes norunt. Primum vero impetum publicum Jeſuitæ in Quenellii Novum Teſtamentum, antehac per octo fere annorum luſtra maximo applauſu propemodum ubivis exceptum, & Cardinalem Noallium, ſummum ejus Patronum A. MDCXCIX. fecerunt edito ἀνωνύμως famoſo illo *Problemate Eccleſiaſtico*, in quo

(*l*) Vid. hujus opellæ Tom. V. p. 247. ſqq.
(*m*) Vid. Placcii Theatrum Anonym. f. 502.

utrumque hæreseos Jansenisticæ postularunt. Sed illud statim variis in tribunalibus & judiciis atro carbone notatum est, ut insolens, detestabile, seditiosum, diffamatorium, infame, maledictum, opus tenebrarum rogo dignum, scandalosum &c. imo ex decreto summæ Curiæ Parisiensis publice laceratum atque combustum. Quin ipse summus Pontifex Innocentius XII. per Officium Inquisitionis Romæ id condemnavit (*n*).

LXXVI.

Quum mortuo Ludovico XIV. majori libertate gauderent Ecclesiæ Gallicanæ Antistites & socii, antehac ad acceptandam Constitutionem *Unigenitus* adacti, eorum complures certatim & integra præterea Collegia ac Universitates publica retractationis & dissensus sui monumenta ediderunt, quæ vero Romana Curia indignissime,

(*n*) Vid. Paschasii Quesnel Expostulatio ac Protestatio adversus decretum, quo centum & una propositiones damnatæ sunt, p. 20. add. Celeberrimi D. Weismanni Memorab. H. E. N. T. Part. II. p. 592. sqq.

me tulit, & tanquam ſcandaloſa, temeraria, Eccleſiæ ac S. Sedi injuria, ſchismatica, hæretica, impia &c. reprobavit. Eadem in Monaſterio Dominicanorum, ubi Inquiſitio ſedem habet, Romæ inter contumelioſas & affectatas ſolennitates publice per carnificem flammis mandata fuerunt (*o*). Hæc in præſentia ſufficiant. Alio fortaſſis tempore argumentum hoc continuatum dare licebit.

(*o*) Confer. eundem Weismannum l. c. p. 664.

II.

ANALECTA AD DISSERTATIONEM DE LIBRIS COMBUSTIS.

§. 1.

EX quo de libris combuſtis in ſeptimo hujus opellæ faſciculo commentati ſumus(a), Viri nonnulli literatiſſimi, quorum magna eſt in Orbe erudito auctoritas, nobis haud obſcure ſignificaverunt, qualemcunque illam diſſertatiunculam non prorſus ipſis diſplicuiſſe. Hinc excitati pauca, quæ interim de iſthoc argumento paſſim obſervare nobis licuit, hoc loco exhibere ſtatuimus.

§. 2.

(a) Pag. 75. ſqq. add. p. 295. & Tom. VIII. pag. 369. ſqq.

§. 2.

Et primo quidem Bibliothecas quasdam celebriores ferali incendio abſumtas nominabimus. Ex antiquiori ævo commemoranda heic venit *Bibliotheca Monaſterii Benedictini S. Vedaſti apud Atrebates*, quæ ſæculo a C. N. octavo cum templo & omni ſupellectile ſacra incendio hoſtili conflagravit. Reſtaurandæ autem ei Abbas Rado primo ſtatim regiminis ſui anno ſummam impendit induſtriam & liberalitatem, adhibito ad hoc in conſilium & auxilium Alcuino Caroli M. præceptore, cujus opera potiſſimum uſus eſt ad recenſionem & emendationem librorum, ad ſtudium Theologiæ & cultum divinum pertinentium, quos illorum loco, qui igne perierant per cœnobii ſui alumnos de integro deſcribi curavit. Ex his in Auguſtiſſima Bibliotheca Vindobonenſi Codex SS. Bibliorum utriusque Teſtamenti, Lambecio, e cujus epitomatore hæc hauſimus, (*aa*) teſte, adſervatur. E recentiori ætate huc pertinet *Altivillarenſe cœnobium*, in quo

(*aa*) Vid. Cl. Reimanni Bibliotheca Acroamatica, p. 139.

in quo, observante Theodorico Ruinarto (*b*), nihil fere supereſt antiquitatis, cum sæpius ob ingruentes bellorum tumultus tandemque An. 1562. hæreticorum, quos vocat, irruptione devastatum sit, ecclesiæ ornamentis, tabellis sacris, subselliis, vasis reliquaque supellectile una cum ædificiis in favillas redactis, ut adeo vix tres aut quatuor MSS. Codices ex tot incendiis direptionibusque evaserint. Superiori sæculo *Metis Monasterium S. Vincentii* Ord. Bened. cum apparatu librario conflagrasse, ut pauca nunc restent MSS. Edmundus Martene & Ursinus Durandus, e familia Benedictina Monachi (*bb*), narrant, addentes Cœnobium deinde magnifice restauratum, atque hinc horti januæ hoc distichon inscriptum esse:

Hæc domus in cineres iterata sorte redacta,
Splendidior forma nunc meliore nitet.

Multa

(*b*) In itinere literario in Alsatiam & Lotharingiam p. 419. sq. Tom. III. Operum posthumorum Mabillonii & Ruinarti.

(*bb*) In *Voyage Litteraire* Tom. I. p. 112.

Multa in lucem emiſit indefeſſæ diligentiæ ac immenſæ lectionis Vir *Caſpar BARTHIUS*, nec pauca inedita reliquit; ſed plura ſupereſſent, ni Vulcanus negligentia villici abuſus cum prædio ejus Sellerhuſano, magnam Bibliothecæ illius partem, atque ſimul ingens ſcrinium ipſius manuſcriptis chartis refertum devoraſſet (*c*). Robinſonius ad Joannem Rayum Bononiæ ſe triſte ſpectaculum vidiſſe ſcribit (*d*), cum incuria vetulæ ædes *MALPIGHII* cum ejus libris ac MSS. in ignes conſiderent, miratus Viri patientiam & conſtantiam. Meminit & duarum Bibliothecarum quondam inſtructiſſimarum, quas vero flammarum violentia in cineres redegit, Jo. Mabillonius (*e*): *Bibliothecas diligenter perſcrutamur, quarum vel rudem notitiam exhibere, vel quamdam memoriam conſervare juvat. Sunt enim ſua fata etiam bibliothecis. Jam ex iis, quas aliquando perluſtravimus, duas non ſine magno rei litterariæ detrimento igni, corruptas accepimus, nempe GEMBLACENSEM in Belgio ante ali-*

(*c*) Vid. Barth. in Statium Tom. III. p. 1398. conf. Bælii Diction. art. BARTHIUS not. (L) f. 459.

(*d*) Vid. Acta Eruditor. A. MDCCXIX. p. 19.

(*e*) In præfatione Muſei Italici.

te aliquot annos ; & apud Venetias S. Antonii in Castello Canonicorum regularium S. Salvatoris, post nostrum ex urbe illa discessum. Harum Bibliothecarum ne unum quidem folium supereſſe, cum utraque vetustis atque optimæ notæ codicibus abundaret, magnopere dolemus. Idem in sui itineris Italici descriptione (*f*) insignem hæreticorum Bibliothecam, quæ antiquorum Waldensium erat, prope Luzernam A. 1686. igne periisse memorat. Bibliothecæ *MAZARINIANÆ* olim locupletissimæ, & maximis sumtibus studioque incredibili collectæ quæ fuerint fata, neminem fugit. Jussu nempe supremi Senatus Parisiensis illa dispersa atque divendita est, cum eminentissimus ejus possessor publice proscriberetur. Licet vero illa combustis accensenda haud veniat, mentionem tamen ipsius idcirco facimus, ut locum heic venusto sed aculeato Gaulmini in eam dissipationem epigrammati (*ff*) dare queamus.

Inliades

(*f*) Pag. 227.

(*ff*) Vid. *Lettres Choisies de Mr. Guy Patin.* Tom. I. p. 116.

Inliades toto libros dum colligit orbe,
Et vocat Aonias ad ſua tecta Deas.
Tecta, Deas, Libros infami Curia lege
Vendidit, in medio proſtituitque foro.
Hoc ſceleris pretium, ſævi commercia pacti,
Diraque promiſſas auctio monſtrat opes.
Nec mirere nefas, emtus probat emta Senatus,
Vendidit hic libros, vendere jura ſolet.

Sed ad alia pergimus.

§. 3.

Quum *in Hiſpania* quondam *libri Arabici* ab Inquiſitoribus ferali rogo certatim imponerentur, Nicolaus Clenardus, Arabicæ linguæ ſtudioſiſſimus, omnibus precibus ab iis, ut illiusmodi Codices ſibi concederentur, contendit, quo uti ipſis in Mahometanæ religionis oppugnationem poſſet: ſed ſurdis auribus fabulam narravit. Ita enim is ad Carolum V. Imp. Auguſtiſſimum (*g*). *Quia ad hanc rem nobis opus eſſet*

(*g*) In Epiſtolar. Lib. II. p. 253. edit. Hanovienſ. A. 1606. in 8.

esset libris, in quibus mysteria secta continentur, & passim ab Inquisitoribus multi crementur, qui nobis plurimum conducerent, omnem lapidem movi, ut hujusmodi codices mihi servirent, quia illis in fidei augmentum uti vellem, potius quam ut sinerentur perire flammis. Verum nihil obtinere potui: nec hactenus habui, qui meos conatus foveret, præter unum Marchionem (Mendozam scil. Marchionem Mandechari, Proregem Granatensem) *adeo rei studiosum, ut etiam omnes triremes Hispanicæ meis consiliis libros conquirant.* Quantum vero istiusmodi in libros crudelitas detrimentum rei literariæ & sacræ inferat, dici vix potest. Quum enim Inquisitorum plerique exoticarum linguarum sint ignarissimi, facile inde judicabis, hisce incendiis, cum libris religionem tangentibus plurimos etiam bona fruge scatentes in fumum abire. Satius esset, isthæc Ægypti spolia pios in usus verti, atque Christianæ fidei hostes suismet gladiis jugulari. Argumentis, quam flammis, adversariorum dogmata refelli præstat. Hinc recte idem Clenardus de *Judæorum libris*, similia in Hispania olim fata perpessis (*b*): *Si mali*

(*b*) l. c. p. 229. sq.

mali ſunt Hebræorum libri, ab ipſis crema-buntur Judæis, ubi eos reddideris Chriſtianos. Apoſtolorum prædicatione perierunt idola, nec tamen ipſi ſimulachra tradiderunt ignibus, ſed fidem Chriſti animis hominum ſtuduerunt indere. Et paulo poſt: *Judæi plus tribuunt ferme ſuo Talmud, quam bis XXIV. libris, quos vocamus Vetus Teſtamentum, eſtque totum eorum ſtudium in rebus Talmudicis. Si non ob aliud, certe hac gratia tamdiu Judæus quispiam alatur apud Inquiſitorem, donec totum Talmud habeat converſum in linguam vernaculam, ut ſuis oculis videre poſſit, quoties Inquiſitoris fungetur officio. Inſunt in iis libris multa alioqui digna lectu nec injucunda. Quodſi Bibliothecam noſtram ornamus gentilium libris, Platone, Ariſtotele, atque etiam Homero & Luciano, cur non aderunt ii libri, in quibus pugna eſt de religione? Nihil tam confutat vel Mauros vel Judæos, quam iſtiusmodi eorum Codices. Alioqui quæ vulgo a concionatoribus contra eos jactantur, ſæpe valde ſunt inania, & præſtaret tacere, quam ridiculum agere patronum ſacroſanctæ noſtræ fidei.* Tandem cum dira ſibi a Monachis propter ſtudium Arabicum expectanda eſſe innuiſſet, adjicit: *Scripſit modo ad me D. Marchio Granatenſis, Colloquia Eraſmi ignibus*

bus destinata esse, cum aliis libris compluribus, periclitari etiam Vivem. Quid me futurum censes, ubi nomen Alcorani audiverint? Eja insurgant & nobis faceſſant negotium! Fuit enim Vir optimus inter eos, qui Alcoranum cum versione Latina edere moliti sunt (*i*), sed præmatura morte oppressus fidem suam liberare haud potuit. Idem in ipsa Africa inter tot molestias & pericula linguæ Arabicæ operam (*k*) ea fini dedit, ut & calamo & lingua cum Mahometanis in arenam descendere posset; & certe de orbe Christiano hac ratione immortaliter promeriturus fuisset, nisi fata molimina ejus egregia evertissent. Sed de Clenardo & illius consiliis alibi plura dicendi occasio erit.

§. 4.

Diximus in dissertatione, ad quam analecta damus, nonnulla (*kk*) de *Jesuitarum* in cremandis hæreticorum, quos nuncupant, libris industria; nunc quædam ejus e literis

(*i*) l. c. Lib. I. p. 47.

(*k*) l. c. Lib. I. p. 50. & Lib. II. p. 252. sq.

(*kk*) Pag. 114. sqq.

e literis illorum annuis documenta exhibebimus. Ita autem ad ſui Ordinis Generalem A. MDLXXXIV. Colonienſe collegium, cum alia de ſuis proſelytis prædicaſſet (†): *Multo major laus videri debet, eos, qui in tanta hæreſium colluvione ſunt alti, contra hæreticos tamen tanta concipere odia, ut ea non modo in illos, ſed in eorum quoque libros effundant. Quotquot enim hujus generis nacti ſunt libros, eos ad nos afferunt exurendos. Adoleſcens complura Lutheri Erasmique volumina, quæ poſtea nobis traderet concremanda, ab hæreticorum Miniſtro coëmit.* Burdegalenſe vero Collegium (††): *Omnino ſunt auditores noſtri, quamvis medios inter hæreticos poſiti, hæreticorum tamen hoſtes acerrimi. Quicquid librorum ex eo genere in manus venerit, id concremandum ſuis præceptoribus tradunt. Magiſter unus paucis menſibus ducentos a ſuis ac triginta libros, partim hæreſi, partim impudicitiæ labe notatos accepit, alter centum, quos ignibus tradidere.* Camberienſe denique Collegium (†††) refert, quendam ſenatorii ordinis

(†) Pag. 187. edit. Rom. A. 1586.
(††) Pag. 226.
(†††) Pag. 234.

dinis virum morti proximum a suis motum libros e bibliotheca minus catholicos, ne cui post ejus obitum fraudi essent, asportandos, ut comburerentur, curavisse. A. autem MDXCIII. Agennense Collegium (*l*): *Impii libri conquisiti, & Magistratu inspectante combusti. Pro his pii redditi, qui jam a multis magno cum fructu habentur in manibus.* In ejusdem quoque anni literis (*ll*) a Jesuitis curatum esse commemoratur, ut hæretici libri Groeningæ in Frisia comburerentur.

§. 5.

Singularis plane Vir fuit & πολυγραφώτατος Pater *Franciscus a S. Augustino, MACEDO*, Minor Observans, Lusitanus, Magister Conimbricensis, Lector sui Ordinis jubilatus, Professor Publicus Patavinus, Exlector Madriti, Pontificius Romæ in Collegio de propaganda fide, & in alma Sapientia; Exqualificator S. Officii Romani, Concionator & Consiliarius Regis Christianissimi, & Sereniſſimi Lusitaniæ Regis Histo-

(*l*) Pag. 110. edit. Florent. A. 1601.
(*ll*) Pag. 146.

Hiſtoriographus Latinus, Venetus Civis&c. uti ſeipſum in fronte libri de Azymo Euchariſtico, Veronæ excuſi, nuncupat. Non absque ſtupore legi poſſunt, quæ de illo Duumviri præſtantiſſimi D. G. Morhofius (*ll*) & J. C. Wagenſeilius (*m*) commemorarunt. Ipſe ad Magliabechium operum ſuorum catalogum miſit, in quo inter deperdita reponit *Adverſariorum ex omnibus operibus S. Auguſtini collectorum ingentem Tomum*, eumque, quod interpunctus & ex chartis ſolutis male compoſitus fuerit, a ſui Ordinis Quardiano, aliquod opus inutile eſſe putante, magno ſuo dolore & non prorſus nulla doctrinæ Auguſtinianæ jactura combuſtum refert. Liceat hic paululum excurrere, & quædam de hoc admirandi ingenii Viro annotare. Morhofius (*n*) Thomam Mazzam Dominicanum pro famoſo impoſtore Jo. Annio Viterbienſi Apologiam, ſummo ſtudio fru-

(*ll*) In Polyhiſt. Literar. Lib. I. Cap. XXII. p. 290. ſqq.

(*m*) In tractatu vernaculo de Germaniæ Phonaſcorum (*der Meiſter-Singer*) Origine, utilitate, præſtantia & inſtitutis, annexo ejus Commentationi de Civitate Norimbergenſi, p. 484. ſqq.

(*n*) l. c. Cap. VI. p. 55. ſq.

stra a se quæsitam, conscripsisse, eamque Anonymum Nobilem alio libro, sed hactenus inedito refutavisse e Gregorio Leti observat, addens, Mazzam a Macedo contra hunc strenue defensum fuisse. Fatetur Morhofius, incredibili se illa legendi scripta desiderio, rei novitate motum, exarsisse, voti tamen sui nondum compotem factum. Sunt vero mihi ad manus *Francisci Sparavierii Castigationes ad Apologiam Thomæ Mazzæ pro Joanne Annio Viterbiense vindicatæ & assertæ etiam adversus responsiones ad eas Francisci a S. Augustino Macedi*, A. MDCLXXVI. in 4. alicubi in Germania, quod typi evincunt, impressæ. Sparavierius hic ipse ille Anonymus Nobilis est, in quem Morhofius digitum intendit. Is, quum Mazzæ Apologia in lucem prodiisset, castigationibus suis eam notavit, non ut illas publici juris faceret, sed privatos in usus. Earum autem, posteaquam a paucis lectæ fuissent, copiam ab ipso Sparavierio amice sibi Macedus expetiit, tandemque non sine commemoratione voluntatis suæ & propositi, ut perpetuo latérent, obtinuit. Quo facto illas inscio auctore cum animadversionibus suis Macedus in lucem Veronæ A. 1674. protrusit, & quidem

dem corruptiſſime, quædam omittendo, alia pervertendo, ac ita depravate reddendo, ut minimum de ſuo agnoſceret Sparavierius, qui hinc compulſus non ſuas ſolum ad Mazzæ Apologiam, quæ ipſa fere integra Latine converſa ſuis paſſim locis adjecta eſt, caſtigationes, verum etiam contra Franciſcum Macedum, inſertis ubique ejus animadverſionibus, vindicias vulgavit. Ut ingenue profitear, peſſimam cauſam peſſime tuitus eſt Macedus, neque eum ſe præſtitit, qualem ipſum e Morhofii & Wagenſeilii elogiis mihi conceperam. Rem pene totam adagiis, verbis amarulentis & exclamationibus confecit, eoque fere modo ſubinde cum adverſario egit, quaſi violatæ religionis reus eſſet, quod judicium etiam de ejus *Azymo Euchariſtico* Jo. Mabillonius, Vir non modeſtiæ minus quam eruditionis laude poſt fata quoque florentiſſimus (*o*) tulit. Id nempe cumprimis

(*o*) In Diſſert. de Azymo ac fermentato Cap. XII. p. 176. Tomi I. Operum poſthumorum Mabillonii & Ruinarti a Vinc. Thuillierio Pariſ. A. 1724. editorum. Idem Mabillonius in Itinere Italico p. 60. ex ore Joannis Patricii refert, Macedum ad impugnandum in libello de Azymo Cardin. Bonam ea ratione fuiſſe im-

pupugit Macedum, quod Sparavierius in Inquisitorem insurgere ausus fuerit, atque ita suum, utpote *Qualificator*, quem vocant, *sancti offcii Romani*, esse credidit, ejus partes quoquo modo agere. En ipsius verba (*p*): *Pater Mazza & Inquisitor est, & inquirit de injuriis Annio factis super impostura auctorum, quam deprecatur, & vindicem reperit Qualificatorem S. Officii Romani, & quidem jure; agitur enim de fide hominis religiosi, eruditi Dominicani, Magistri Sacri Palatii, quem non decuit fictos libros intrudere, qui non est temere damnandus. Hanc temeritatem corrigimus Inquisitor, & Qualificator. Hæc est πρωρα και πρυμνη. Removemus suspiciones malevolorum, quærimus rationes idoneas, Annium non finxisse auctores.* Inter Macedi opera affecta (*q*) refertur etiam *Accipiter, sive Sparavierius* (*r*) *Rafrerii*

impulsum, quod cum Bona viventes auctores in suis passim laudaverit scriptis, nusquam de Macedone mentionem feciſſet. Sed addit, id alios pernegare, & asserere, eum ad id a gravissimis viris esse impulsum, quibus Bonæ sententia non placuit.

(*p*) Vid. Sparavier. l. c. p. 227.

(*q*) Apud Morhofium l. c. p. 293.

(*r*) Itali enim accipitrem *Sparaviero* vocant. vide, quæ in hunc Macedi lusum ipse Sparavierius l. c. p. 19. sqq. notavit.

Rafrerii (*s*) *plumis veſtitus, deplumatus, & viginti quinque errorum convictus.* Cæterum operæ pretium eſt, hic appingere, quæ ad Mabillonium A. 1681. 7. id. Jun. Florentia de Macedo ejusque obitu Henricus Noriſius (*ſſ*) perſcripſit: *Bonus ille ſenex, cum librum apologeticum de Monachatu S. Auguſtini adverſus Aloyſium Torellium Auguſtinianum furtivis typis abs ſe impreſſum, a Cenſore fidei Patavino in publicam lucem ex typographi officina educi vetitum cognoviſſet, tanta rabie ac indignatione potius quam dolore correptus fuit, ut non jam ſomnians, ſed plane vigilans mentem primo, dein inter continua delira vitam amiſerit, leniſſimo fato extinctus Kal. Martii, anno ætatis* 87. *in impreſſione tomi, libri, voluminis, quoquo nomine appelles, quinquageſimi ſecundi: Tantum vixit, tantum ſcripſit, tantum in tantis ſcriptis haud poſtea victurus. Antequam legeret ſua illa quinquaginta ſomnia, dormivit cum pa-*

(*s*) Per anagramma FERRARII, Octavii ſcilicet, Profeſſoris, dum viveret, Patavini. Hujus namque plumis ſuperbire Sparavierium Macedus exiſtimavit; ſed vide, quæ ipſi in præfatione operis ſupra nominati Sparavierius regeſſit.

(*ſſ*) Vid. Opera poſthuma Mabillonii & Ruinarti Tom. I. p. 444.

tribus suis. Indigitatur hisce libellus Macedo oppositus, & Mabillonio dicatus, cui titulus: *Somnia quinquaginta Franciſci Macedo in Itinerario S. Auguſtini poſt Baptismum Mediolano Romam*, quæ ſub nomine Patris de la Foſſe Noriſium concinnaſſe Mabillonius ſuſpicatus fuerat.

§. 6.

Poſtquam *Michael Cervanteus*, inter præſtantiſſima Hiſpaniæ ingenia Huetio judice (*t*) numerandus, primam ludicræ illius de rebus ab Heroë ſuo Romanenſi Domino Quixotio geſtis narrationis partem, omnium plauſu exceptam, An. MDCV. edidiſſet, atque ſecunda tot votis deſiderata non compareret, *Alonſus Ferdinandus de Avellaneda* An. MDCXIV. continuationem publice exhibuit, cujus, cum Cervantæo, eam ſibi gloriam eripi indigne ferenti, minus grata fuerit, ab ejus æſtimatoribus plurima exempla igni tradita dicuntur, hincque tanta operis in ipſa Hiſpania raritas exorta perhibetur, judice Domino *Le Sage*, qui primus eam continuationem ex Hiſpanico in Gallicum ſermonem

(*t*) De Origine fabularum Romanenſium, p. 91.

nem tranſtulit (*u*). Is vero inde raritatis cauſam accerſit, quod Avellaneda utpote Arragonius non ea, qua Cervantæus Caſtellanus, elegantia ſcripſerit, ac propterea opus illius ab Hiſpanis neglectum, nec unquam recuſum fuerit.

§. 7.

De *ADRIANO Heerebord*, Philoſopho non incelebri, in Itinere ſuo literario MS. quod penes me eſt, ex ore Meibomii Medici quondam Helmſtadienſis Clariſſimi prodidit Jo. Jacobus Thurmius Auguſtanus, præcocibus ingeniis jure accenſendus (*x*), eum Virum diſſolutæ vitæ fuiſſe, adque illam uxoris malitia adactum, qua cum non ſatis frequenter, quippe vitæ contemplativæ deditus, exſpatiari voluerit. Uxorem

(*u*) In præfatione ſuæ verſionis, edit. Pariſ. A. 1711.

(*x*) Vid. Libellum, cui titulus: *Præcox maturitas Viri Juvenis Clariſſimi atque Edecumatiſſimi Dn. JO. JACOBI THURMII Auguſt. AA. LL. M. & SS. Theoſophiæ Candid. in ipſo ætatis flore & ſuſceptæ peregrinationis literariæ curſu A.* 1669. *d.* 7. *Aug. Lugduni Bat. beate defuncti, delineata a Theoph. Spizelio. Aug. Vindel. A.* 1670. *in* 4. unde Thurmii encomium B. G. H. Goezius inter ſua præcocium eruditorum elogia retulit.

igitur marito sæpius sedentariam illam vitam & perpetuam librorum revolutionem dissuasisse, cumque hac ratione ab ista eum avocare haud posset, tandem ipso absente Manuscripta illius omnia in ignem conjeciisse; quo facto Heerebordum perculsum, ut tristes inde ortas cogitationes excuteret, ebrietati se dedere cœpisse, qua tamen non obstante, doctissime disseruerit, plura præstiturus, si minus dissolute vixisset.

§. 8.

De *ALBERTO DURERO*, Germaniæ nostræ Apelle, hæc refert Celeb. Wagenseilius (*y*): *Nullius inter pictores clarius nomen, quam Alb. Dureri nostri, qui, quod Vir ortu generis doctrinaque nobilissimus, Bilibaldus Pirckheimerus in vita ejus commemorat, Italorum invidiam compescens, ipsos adegit, & ad veritatis confessionem, & ad falsi commentum; cum Durero quidem herbam porrigerent, sed, ut opera sua facerent vendibiliora, fraudulenta Dureriani nominis inscri-*

(*y*) In commentatione de Civitate Noribergensi. p. 151.

ſcriptione ea proponerent. Quin imo conſtat, Michaelem Angelum Bonarotam Dureri ſive pictas ſive æri inciſas imagines, quotquot nanciſci poterat, cremaſſe, aut comminuiſſe in fruſta.

§. 9.

Tandem quædam ad oblectandos meos lectores addere juvat e ludicro & obſcurorum virorum ſtylo ſcripto, Annoque 1519. in 4. edito libello, hunc titulum gerente: *Modus inquirendi hæreticos ad uſum Romanæ curiæ lectu digniſſimus, duodecim regulis concluſus.* Ut ex ungue agnoſci leo poſſit, integram duodecimam regulam, in qua tam de hæreticis, quam ipſorum libris comburendis diſſeritur, cum corollario & quæſtione brocardica ei annexa, apponere haud piget: "Si autem „ per gratiam Dei audierit hæreticus, & Ec- „ cleſiam ſanctam ſequi promiſerit, tunc „ mox imponatur eis revocatio: nec eſt „ tunc neceſſe ad ſua dicta reſpondere, aut „ rationes ſolvere, ne forte cogatur inqui- „ ſitor ad ſanctam ſcripturam venire, in „ qua timendum eſt iterum ſuccumberet. „ Sed ſufficit ſimpliciter dicere: Sancta Ec- „

„cleſia ſic determinavit: & ſedes Apoſtoli-
„ca ſic vult. Et ſic victus eſt hæreticus &
„anima lucrata Deo & benedicatur Deus,
„& laudetur ſanctus ordo prædicatorum,
„qui tam legales inquiſitores enutrivit.
„Tunc imponendum eſt hæretico, ut ſuos
„ipſe libros comburat, & ignem foveat ſi-
„cut Iſaac ligna pro ſe ipſo portavit: non
„in confuſionem quidem hæretici, ſed ut
„Inquiſitor juxta cum gloria ſedere poſſit
„& in conſpectu circumſtantium, hære-
„ticum omnibus oſtendere victum. Quia
„jam victo debet aliqualem compaſſionem
„facere & non nimis inſultare & irridere
„miſerum: niſi ubi diſcretioni ſuæ viſum
„eſt. Si autem noluerit, & omnino per-
„tinaciter perſeveraverit: tunc juxta Apo-
„ſtolum, Auferte malum de medio veſtri
„(in quo apoſtolus licet non comburere
„inſerit, tamen occidere præcepit per di-
„ſpenſationem præcepti Dei) tradatur fo-
„ro ſæculari & comburatur, ſicut eſt mo-
„ris atque ſtili Romani, nec pro eo oretur,
„nec mors ejus commendetur, ſed ſit no-
„men ejus maledictum, & omnia quæ di-
„xit & ſcripſit & fecit. Tunc inquiſitores
„habebunt intentum finem ſuum, ſed ma-
„gnam gloriam apud Deum & homines,

& gau-

& gaudere poſſunt in corde ſuo. Ex „
omnibus prædictis ſequitur unum nota- „
bile correlarium. Hoc eſt hoc: Quod „
iſti quatuor fratres prædicatorum in Ber- „
na (z) ſunt inique combuſti, quia fue- „
runt examinati de puncto ad punctum, & „
ſic defecerunt, ſi autem primo fuiſſent „
interrogati (ſicut debuerunt) & ſolum „
hoc quæſiti, an crederent in ſanctam Ec- „
cleſiam, bene fuiſſent liberati. Quia jam „
ſanctiſſimus D. Papa decreverat (non acce- „
pta pecunia, ut multi loquuntur) eos li- „
berare, quia Eccleſiam ſanctam confite- „
bantur, ergo nihil contra Eccleſiam ege- „
runt. Quare non fuerunt hæretici. Sed „
Hel-

(z) Pauca Tom. II. p. 363. ſq. de raritate libellorum, qui de technis quatuor Dominicanæ familiæ monachorum Bernæ A. 1509. combuſtorum prodierunt, diximus: interim vero ejusmodi duos, unum vernaculo, alterum Latino ſermone eo ipſo tempore in 4. publicatos nactus ſum, quorum en titulos: *Von den 4. Kezern Prediger Ordens der Obſervanz zu Bern im Schweizerland verprennt in dem Jahr nach Chriſti Gepurdt* MCCCC. IX. &c. *Defenſorium impiæ falſitatis, a quibusdam pſeudopatribus Ordinis prædicatorum excogitatum, principaliter contra mundiſſimam ſuperbenedictæ virginis Mariæ conceptionem: cum inſertione actorum in Berna ſub annis Chriſti milleſimo quingenteſimo ſeptimo octavo & nono usque ad ultimam Maji, qua die quatuor ejusdem falſitatis architecti igne deleti ſunt.*

„Helvetii isti Schuicerii, quia bellare tan-
„tum sciunt, artem autem inquirendi nun-
„quam studuerunt: ideo non mirum, quod
„omnia perverterunt, & injuriam eis fece-
„runt. Et meo judicio hæresim commi-
„serunt, quod combusserunt eos, qui Ec-
„clesiam sanctam confitebantur. At illi
„Boemi Joannes Huss & Hieronimus de
„Praga recte & artificialiter fuerunt exa-
„minati, quia non per sanctam scripturam
„fuerunt convicti, sed per determinatio-
„nem sanctæ Rom. Eccl. damnati, quia ut
„supra dixi, Romana Ecclesia est regula fi-
„dei, magistra ecclesiarum, domina terra-
„rum. Ideo quicquid dixerit, articulus
„fidei est: non obstante, quod aliquando
„erravit. Nam regula fidei potest bene
„errare venialiter, sicut sanctus Petrus ad
„Gal. 2. Sed & Joannes Reuchlin si per-
„misissent principes inquiri de articulo fi-
„dei in ecclesiam sanctam: non tantum li-
„bri sui sed ipse quoque fuisset combustus.
„In quo maximam gloriam inquisitores
„fuissent consecuti, quod talem virum,
„tam doctum combussissent. *Quia sem-*
„*per combustores sunt doctiores combustis,*
„*ut patet in coquo & lignis, quæ ipse*
„*comburit.* Nunc autem quia de articu-
lo in

lo in articulum per ſcripturas & rationes „ fuit examinatus: non eſt mirum, quod „ cum gloria fuit liberatus. Quia ars in- „ quirendi non fuit cum eo ſervata: eſt „ enim impoſſibile, quod hodie aliquis con- „ vincatur hæreticus, ſi articuli ejus exa- „ minentur ad ſanctam ſcripturam. Sed ſi „ examinentur ad ſanctam Eccleſiam, hic „ non eſt poſſibile, quod evadat. Tales ſunt „ hodie quidam novi hæretici, qui ex Græca „ lingua (quæ ſemper fuit hæretica & ſchis- „ matica) novam & hæreticam Theolo- „ giam adducunt contra ſanctum Thomam, „ quos ſpero examinandos eſſe ſecundum „ practicam hujus artis, & erit per hæc glo- „ ria inquiſitorum & totius ordinis major, „ quod tot & tantos combuſſerunt, quam „ fuit unquam confuſio, quod ipſi ſunt „ combuſti. Det Deus cum ſalute & cito „ Amen. In fine eſt una brocardica quæ- „ ſtio, quæ hinc inde a multis ventilatur. „ Et eſt iſta. Quomodo ſancta eccleſia „ jam plusquam mille trecentis annis opti- „ me recta eſt, ut nullos occiderit aut „ combuſſerit usque ad Concilium Conſtant. „ & nunc regi non poteſt niſi comburendo „ hæreticos: cum tamen illo tempore in- „ numerabiles fuerunt in Eccleſia hæretici, „

„ nunc

„nunc autem nulli exceptis forte Boemis,
„aut magistris quibusdam hæreticorum,
„quos ita vocant. Maxime cum propheta
„Jesaias cap. 11. & 65. dicat de Ecclesia
„Christi: Non nocebunt neque occident
„in universo monte sancto meo. Re-
„spondetur. Miror tam indoctos homi-
„nes esse, qui ista quærunt. Satis patet,
„quod nihil in sancto Thoma studuerunt.
„Dico, quod solutio brevis est ista. Quod
„tunc non fuerunt inquisitores hæreticæ
„pravitatis. Si enim tunc fuissent, tunc
„Ecclesia bene purgata fuisset ab hæreticis
„per ignis ardorem. Sicut etiam veritas
„crescit pro tempore & plus revelatur. Sic
„& purgatio Ecclesiæ crescit. Nam tunc
„temporis quoniam in sacra scriptura stu-
„debant, non fiebant tam subtilia inge-
„nia, quia non habebant curam de Ari-
„stotele, qui facit valde subtilia ingenia.
„Quare ego credo, si sanctus Hieron. &
„August. hodie venirent, aut etiam ipse
„Apostolus Paulus, vix evaderent ignem:
„tam excellentes sunt inquisitores in inge-
„niis. Quod intelligo ex uno facto no-
„vissimo. Quia si potuerunt invenire quod
„Joannes Reuchlin esset hæreticus, quia
„dixit humanitatem Christi comparari

posse

poſſe habitui laicali & meretricio: quomo-„
do effugere potuiſſet Apoſtolus Paulus,„
qui non humanitatem Chriſti, ſed ipſum„
Chriſtum filium Dei dicit non modo ve-„
latum maledicto & peccato, ſed maledi-„
ctum & peccatum factum ab ipſo Deo-„
met. Bene tibi Paule, quod vixiſti illo„
tempore; quando non erant ſubtilia iſta„
ingenia. Quare quisque conſideret tem-„
poris rationem & ſubtilitatem ingenio-„
rum, & cito ſolvet omnes quæſtiones.„
Hanc igitur artem a me comportatam„
ſecundum paupertatem & infoecundita-„
tem ſtili, bono & læto animo ſuſcipite„
qua poſſitis pro honore ſanctæ Roma-„
næ Eccleſiæ, & Zelo veritatis curialis, ad„
laudem & gloriam ordinis noſtri omnes„
hæreticos funditus extirpare & foeliciter„
triumphare. Et hoc, ad introducendam„
conſuetudinem pro ſancta Romana curia,„
qua ei liceat quos volet impune occide-„
re & damnare, per diſpenſationem & re-„
probationem omnium legum Dei. Va-„
lete bene, in veritate quam quæritis &„
diligitis Amen, 1519.„

Hæc licet ironice ſcripta eſſe facile pa-
teat, haud tamen multum ab ejus ſæcu-
li moribus abludere omnes rerum illo
tempo-

tempore gestarum gnari agnoscent. Istum vero libellum recusum postmodum Ambergæ Anno 1611. in 8. dedit personatus Joachimus Ursinus *in Hispanicæ Inquisitionis & carnificinæ secretioribus*, ubi, præter illius originem, processus tyrannicus in fidelium religionis reformatæ confessorum comprehensione, bonorum sequestratione, audientiis varii generis, testium publicatione & confutatione, artibus inquirendi aliis, etiam secretioribus, captivorum victu, & reliquis vitæ subsidiis, carcerum visitatione, sententiarum denique publicatione & interpretatione describitur: exemplis illustriorum tum Martyrum, tum articulorum & regularum inquisitoriarum in fine adjectis, & præfatione de Jesuitis, inquisitionem Hispanicam in Germaniam & Bohemiam vicinam introducere molientibus, præmissa. Qui liber Philippo Limborchio, cum suam Inquisitionis historiam concinnaret, præsto non fuit.

III.

III.

LEONIS ALLATII CONFVTATIO[a] FABVLÆ DE IOANNA PAPISSA

Ex Monumentis Græcis.

I.

DE jactitante nobis Ioannam Papissam fabula, vere fabula, & hæreticorum impostura, plures ex recentioribus,

(a) Hanc, cum brevis sit rariusque obvia, integram ex Allatii Συμμικτων, a Bartholdo Nihusio Coloniæ Agrippinæ, vel potius Amstelodami A. 1653. in 8. editorum, Lib. II. p. 415. sqq. inserere placuit. Addidi ei non ineruditam B. Palthenii, magni, dum viveret, Gryphicæ Academiæ ornamenti, epistolam, hactenus ineditam, quam pro suo in me amore mecum benevole communicavit Vir doctissimus Joannes Boetticherus, Lycei Wolgastini in Pomerania Rector præclare merens, cujus & est notula, illi subjecta.

nonnulla, levia illa quidem & incomta & ab omni verisimilitudine aliena, titubantium in morem, tradiderunt. Hi nullum ad hoc pondus habent, cum nec autoritatem habeant, quam vel natura vel tempus affert. De hæreticorum nugis non laboro: ad fidem quippe faciendam, minime ab homine nobis infenso testimonium sumendum est: &, ea qua constituuntur facilitate, eorum mendacia destructa corruunt.

II. Si qui sunt, qui veterum testimonio nugas hasce probare nituntur, ad Marianum Scotum, Sigebertum Gemblacensem ac Martinum Polonum, tanquam hujus rei assertores, se referunt; sed inani conatu, nusquam enim autores hi tale figmentum, quod ne somniarunt quidem, scripserunt; etsi hostium fraude in eorum historia innexum deprehendatur.

III. De Mariano Scoto, vide Notatorem in Metropolin Krantzii lib. II. pag. c. edit. Colon. anno MDLXXIV; etsi notam illam typographi Francofurtenses eraserint; Miræum in Chron. Sigeberti; Nicolaum Serarium in Moguntiacis; Florimundum; & alios. Nec leve est argumentum, nullum ex fabellæ hujus assertoribus post Marianum,

rianum, in ſuæ ſententiæ patrocinium, illum laudaſſe.

IV. De Sigeberto vide eundem Miræum ibidem, Ioannem Molanum, Alanum Copum, Dialog. I. cap. VIII. Suffridum Petrum, Annotat. in Chron. Martini Poloni. Non levis eſt pro nobis conjectura, Vincentium Bellovacenſem, Spec. hiſtor. lib. XXV. cap. XXXVI. & Guilielmum Nangiacum in Chron. qui Sigebertum, in hiſtoria præſertim horum temporum, de verbo ad verbum bona fide deſcripſerunt, Ioannæ Papiſſæ neque per ſomnium meminiſſe.

V. Vnus omnium reliquus erat Martinus Polonus, ſolus commenti hujusce autor: ideoque à pluribus ſcriptoribus male habitus; etſi immerito. Chronicum ejus ab aliis peſſime corruptum fuiſſe olim, deprehenderat Suffridus Petrus; ideoque fide M. S. codicum emendatum, in meliorem-que formam, ut ipſe aſſerit, redactum, edi curavit Antverp. apud Plantin. MDLXXXIV. Verum Joannam Papiſſam in ejus hiſtoriam ab aliis intertextam fuiſſe, ope illorum codicum, vel aliorum, nusquam deprehenderat; quare, nihilo immutato, fabellam hanc, ut erat, publicavit: notavit tamen, codices M. S. quod & veriſſimum

eſt, neque excuſos omnes neque ſingulos inter ſe congruere, & in codice Tongerloënſi M. S. nec numerum nec nomen haberi in catalogo Pontificum, ſed Leoni præcedenti hiſtoriam ejus, veluti fabulamentum, appendicis loco adjectam.

VI. Exemit dubitationem omnem Vrbanus VIII. Pont. Max. cujus nutu & auſpicio, omnia ſibi felicia fauſtaque univerſus terrarum orbis ſentit. Quippe illo auſpice, prudentiæ radio omnia colluſtrante, res humanas divinasque rectiſſime regi cernimus; pleraque etiam, temporis vitio vel fraude hominum abſumpta, occultaque, in apertum venire. Quod multis aliis manifeſtum fit; ſed eo præcipue, quod, dum impoſtores inſolentiſſimi libellum de hac fabula in Chriſtianorum perniciem lingua Italica editum publicant, tres autores, ſub felici tanti Principis auſpicio, longo terrarum tractu diſtracti, diſperſique in varias partes; per tot ſecula in tineis latebrisque latitantes, lucem aſpiciunt uno eodemque tempore, ut ita dicam, Romæ; quibus potiſſimum hæc hæreticorum fraus detegitur, impoſturaque diſploditur; Martinus Polonus ſcilicet, Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, inter libros, ab Epiſcopo Lollino,

Lollino, ſummo Pontifici legatos; & Metrophanes Smyrnæus, una cum bibliotheca Palatina Romam advectus: qui in bibliotheca Pontificia antea minime reperiebantur. Iſti tres ex compoſito in dictum commentum veluti conſpirantes, & Vrbano Pontifici uno ore applaudentes, Vaticanum aſcendunt, hæreticorum deliria jugulaturi.

VII. Vrbanus itaque bibliothecæ Vaticanæ, quam antea multis peregrinorum autorum manuſcriptis codicibus, iisque vetuſtiſſimis optimæque notæ, auxerat, codicem Martiniani Chronici aſſervandum dederat. Erat ille antiquiſſimus omnium, qui in dicta Bibliotheca antea erant, charactere non ineleganti, multis tamen in locis, propter vetuſtatem, viſum fugiente. In eo hiſtoriæ Pontificum dextra, læva Imperatorum, ita interſtinctæ legebantur, ut, quid quoque anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egiſſent, unico aſpectu poneretur ob oculos. Poſt præfationem, à Natali Chriſti ad ſua usque tempora hiſtoriam proſequitur. In eo nihil de quatuor majoribus regnis, Vrbis Romanæ exordio; nihil de Vrbis portis, plateis, templis, regimine, aliisque fabulamentis, quibus

bus Chronicon illud male audiit, peſſumque dederat autoris nomen : ſed omnia plana & recta.

VIII. Ex quo manifeſtum eſt, Chronica, quæ ſub Martini nomine, vel typis vel ſcripto circumferuntur, ab integritatis ſuæ gradu, aliorum imperitia vel negligentia, utinam non malevolentia, deturbata fuiſſe. Vnusquisque enim, quæ ipſe digna memoria judicabat, addidit, eraſitque quæ ſibi indigna lectu videbantur.

IX. In integerrimo itaque hoc exemplari, poſt vitam Leonis IV, nulla fit Ioannæ Papiſſæ mentio ; neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem vel aliena manu, ſcripta. Et, ſi totum perlegeris, nullum de hac re verbum invenies, neque aliorum induſtria quidquam eraſum ; quod è ſerie rerum, & pagellæ tractu, clariſſimum eſt ; cum Leonis vita in una pagina non finiatur, ſed alterius ſequentis ſuperiorem partem occupet : poſt quam immediate Benedictus tertius, patria Romanus, ſequitur, & deinceps Nicolaus primus. E quibus jam evidens eſt, totum hoc ab inimicis Martiniano Chronico fuiſſe innexum ; tantique codicis ope, levi ſuffultum patrocinio mendacium cadere, quod non Martinum,

tinum, sed alios veteratores, quorum nulla fides esse debet, agnoscit.

X. Perpende, lector, silentium illius temporis scriptorum, qui de commento hoc ne verbum quidem: quod nusquam tacuissent; quin, ni pudor & rerum humanarum reverentia continuisset, audacter impudenterque fuissent amplexati, quando illos non puduit, atrociora in Romanam Ecclesiam machinari, prodigiosioribusque mendaciis conflatis palam mentiri.

XI. Photius Patriarcha C. P. mortalium omnium scelestissimus, uno verbo ἐλέγχιστος ζωόντων, turbat eodem illo tempore, quo Ioannes iste Anglicus fingitur, totam Orientis oram, atque, ad defectionem contra Romanos Pontifices, omnes compellit; quod ut assequatur facilius, & ore & calamo, factisque etiam immanissimis, in eos non mendacia, sed prodigia tentat. Is dum lib. 1. de Spiritus Sancti processione adversus Latinos agit, cujus illud est principium, Ἐν πολλοῖς μὲν εἰσιν οἱ ἔλεγχοι πολυστίχοις ἐσπαρμένοι λόγοις, δι' ὧν ἡ ὀφρὺς κατασπᾶται τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατέχειν: Pontifices Romanos, illo tempore, quo ipse vivebat, Romanam Ecclesiam regentes, enumerans, non sine maximo eorum

ſanctitatis, prudentiæ, doctrinæque elogio, ad quod, velut aſpis, licet invitus, vi trahitur veritatis, quod libens; odio in illam Sedem, obticuiſſet, nullam inter eos hujusce mulieris, quæ Papatum ambierit, facit mentionem, ſed diſertiſſimis verbis Leoni quarto Benedictum III. ſubdit; cujus ſucceſſores Ioannem & Hadrianum fatetur. En illius verba; Χθὲς, ϗ ὔπω δευτέρα γενεὰ παρῆλθεν, Λέων ἐκεῖνος ὁ περιώνυμος, ὁ ϗ θαύμασιν ἔχων ἐςὶν οὗτος ἐνσεμνύνεσθαι, πᾶσαν ἁπάντων ἐκκόπτων πρόφασιν αἱρετικὴν. *Heri, & nondum ſecunda generatio præteriit, nobilis ille Leo, qui & miraculis editis poteſt gloriari, omnem omnium excidens prætextum hæreticorum.* Et infra: Ἀλλὰ ϗ ὁ πρᾷος, ϗ ἐπιεικὴς, ϗ ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ἐναγλαϊζόμενος ὁ κλεινὸς Βενέδικτος, ὁ μετ' ἐκεῖνον [τὸν Λέοντα] nota verba, τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος, τὸ αὐτὸ ϗ ςέργειν, ἐκ κρατύνειν, οὐ τὴν δευτέραν τάξιν ἔχειν, εἰ ϗ δευτερεύειν αὐτὸν ὁ χρόνος ὑπέταττεν. *Sed & mitis, & manſuetus, & aſceticis certaminibus illuſtris inclytus Benedictus, poſt eum* (Leonem) *in Archieratico throno ſucceſſor, hoc idem & amplectendo & confirmando haud ſecundus eſſe nitebatur, licet tempore ſecundus*

dus esset. His addit in Nicolaum Pontificem, Benedicti successorem, etsi tacito nomine, jurgia : postremo Ioannis, & Hadriani, meminit. Quis crederet, procaciſſimum hominem, vel leviſſimæ ſuſpicioni obnoxium, hæc tacuiſſe ? quem in ipſis etiam Pontificum penetralibus venales habuiſſe delatores, qui de omnibus illum certiorem redderent, veriſimile eſt. Medius potius dirumpi miſer maluiſſet, quam næniam hanc, ita Pontificum gloriæ perniciosam, tacere.

XII. Et hoc Photio, turbulento homini, majorum negotiorum pondere vexato, quaſi incauto, quod tamen re aliter ſe habebat, ſemel excidit ? Perpetua eſt illi, & ſemper una, quam ſupra poſuit, Pontificum Romanorum ſeries ; & Leoni Benedictus ſucceſſit. In tractatu enim contra Latinos, Spiritum ſanctum tantùm à Patre procedere, non item ex Filio, cujus ille eſt titulus, Κατὰ τῶν τῆς παλαιᾶς Ρώμης, ὅτι ἐκ τοῦ πατρὸς μόνον ἐκπορεύεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' οὐχὶ καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ, hæc habet. Λέων ὁ, ἡ Βενέδικτος, οἱ μεγάλοι Ρώμης ἐς ὕστερον ἀρχιερεῖς ἑλληνιστὶ κατὰ τὴν ἱερὰν μυσταγωγίαν, ἐπεφώνουν τὸ Σύμβολον τῆς πίστεως ἐν τῇ Ρώμῃ, καὶ ταῖς ἄλλαις ὑπ' αὐτὴν Ἐκκλησίαις ἀνομοθέ-

τησαν. *Leo & Benedictus, magni deinceps Romanæ Ecclesiæ Antistites, Græce inter sacra Missarum solemnia, Romæ, aliisque Ecclesiis Romæ subjectis, fidei Symbolum recitari, lege lata, sanxerunt.*

XIII. Metrophanes Smyrnæus, alius tunc eodem tempore Romanæ Sedis impugnator, Pontificum sui temporis catalogum, libro quem de Spiritus Sancti divinitate ejusque ex solo patre processione conscripsit, conficiens, Benedictum immediatum Leonis successorem agnoscit. Βενέδικτος ὁ μετ' ἐκεῖνον, Leonem, τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος. Benedicti successores, Nicolaum, Hadrianum, Ioannem commemorat: de Joanne Papa femina ne verbum quidem; quod, vel levissimo rumore percepto, fecisset. Ex horum dictis satis patent optimi tunc in Ecclesia Pontificum mores, Christiana prudentia, religio immaculata, vitæ ratio integra, ab hostibus etiam prædicata.

XIV. Iisdem cum Photio & Metrophane temporibus, pius, & veritatis Catholicæ tunc, cum hæc scribebat, contra Photianos assertor, Stylianus, Neocæsareiæ Euphratesinæ Provinciæ Episcopus, epistola, quam una cum Episcopis, qui cum eo erant,

erant, reliquisque Presbyteris, Diaconis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, omnibusque ad orientem & occidentem Cœnobiorum Præfectis, Presbyteris, Monachis, & Anachoretis, ad Stephanum Papam miſerat, in qua fraudes, dolosque Gregorii Syracuſani, Petri Sardorum, Eulampii Apameæ Epiſcoporum, aliorumque factionis Photianæ, proſequitur; Benedictum Leonis ſucceſſorem agnoſcit. Τελειωθέντος δὲ, inquit, τοῦ μακαριωτάτου Πάπα Δέοντος ἐκεῖνοι τῷ μετ' αὐτὸν Βενεδίκτῳ τῷ Ρώμης Πάπᾳ πάλιν δι' ὄχλου γεγόνασιν περὶ τῶν αὐτῶν. ἀλλ' ὁ ἁγιώτατος Βενέδικτος ἀκριβῶς ἐξετάσας αὐτὸς τὸ πρᾶγμα τὴν κατ' αὐτῶν κρίσιν Ιγνατίῳ ἐπύρωσεν. *Leone inde, beatiſſimo Pontifice, ex humanis ſublato, illi,* (loquitur de Gregorio Syracuſano, & ſociis, primum ab Ignatio Byzantii, ſecundo Romæ à Leone, quidquid alii dicant, excomunicatis exautoratisque,) *rurſum Benedicto Pontifici Romano, qui Leoni ſucceſſit, de iisdem rebus moleſti fuerunt, verum ſanctiſſimus Benedictus, re diligenter examinata, ſententiam adverſus illos, ut Ignatius illam tulerat, pronunciavit.*

XV. Ad opimam præclaramque prædam hic veluti cumulus accedit, non unus hic autor

autor, vel alter, vel tertius, μυρμηκιάτις ἀναρίθμητος, καὶ ἄμετρος. Stylianus ipse est, ceterique omnes consortes Episcopi, Presbyteri, Diaconi, orientis & occidentis Cœnobiorum Præsides, Monachi, Anachoretæ numerus prope innumerus; qui scribunt iisdem illis temporibus, quibus fabula fingitur. Audi ipsum Stylianum: ἐγὼ ὁ καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ Ἐπίσκοποι, Πρεσβύτεροι, καὶ Διάκονοι, καὶ πάντες οἱ κατὰ τὴν Δύσιν καὶ Ἑῴαν Ἡγέμονοι, Μοναχόντε, καὶ Ἡσυχασταὶ, πλῆθος οὐκ εὐαρίθμητον. Tot homines, in re apertissima, si fuisset, palam mentiri, tot oculi in meridie non videre, tot ora, tantum scelus, famaque jam divulgatum, conticescere neutiquam potuissent. Paucis multa imposueris; rem aliter ac gesta sit, sed paucis, obtrudes: at, multis te probando, multos ut fallas, fieri omnino nequit. Non omnes æqua ratione & animum vincere & iracundiam cohibere, aut affectus suos moderari possunt, ut simili studio ad omnia incendantur; præsertim si libertas omnia agendi dicendive sit.

XVI. Audivimus Stylianum, pietatis & veritatis amatorem: eundem audiamus & hostem. Fortasse enim antea, amicis adulans,

lans, laudes expoſuit, opprobria conticuit. Septimo poſt anno à data epiſtola, ſtolide per amicos & cognatos inflatus, relicto veritatis tramite, in contraria verſus dogmata, cum Photianis ſocietatem iniit, & Romanæ Eccleſiæ oblatravit. Non habuit quod illi objiceret, præter inconſtantiam doctrinæ, ſententiarumque pugnantiam. Scribit enim, Stephanum Papam, in eadem re & epiſtola, contraria ſcripſiſſe; ut qui in prima epiſtolæ parte, jure Photium ejectum; in poſtrema, eundem pro legitimo Antiſtite habendum; affirmet. Vir iſte, ſatis petulans, nusquam fabellam iſtam de Ioanna, ſi fuiſſet, occultaſſet. Illâ quippe audacius ſuas partes potuiſſet tutari.

XVII. Quid plura? Conſtantinopolitana Eccleſia, illo ipſo fere tempore, primo Formoſi anno, poſt annos triginta tres, non privatim, ſed publice & in triviis, ut ita dicam, ſolemni inſcriptione omnibus teſtatum facit, nullum alium poſt Leonem, niſi Benedictum, in illo throno ſediſſe. Quippe in Embolo, ſeu porticu magnæ Eccleſiæ, literis omnibus patentibus, dum VIII. Oecum. Synodi breviarium affigit, hæc etiam aliis teſtata voluit: ὁ γὰρ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος † Γεγονέναι

γόριον ἀνεθεμάτιζον. *Pontifex namque Leo, & Benedictus, & Nicolaus, Gregorium anathemate damnabant.* Et : μέχρι τῆς σήμερον τεσσαράκοντα πέντε ἔτη ἀναθεματίζεται Φώτιος παθήλως ἀπὸ τοῦ Πάπα Λέοντος ἕως τοῦ Φορμόσα. ἕνδεκα γὰρ ἔτη ἀνεθεματίζετο κοσμικὸς ὢν, ὡς κοινωνὸς τῷ καθηρημένῳ, καὶ ἀναθεματισμένῳ Γρηγορίῳ τῷ Συρακούσης, καὶ ἄλλα λβ' ἀφ' οὗ ἐγένετο ἀββᾶς. ὁ γὰρ Πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος τὸν Γρηγόριον ἀνεθεμάτιζον κατὰ πολλὰς τὰς ἀτόπους αἰτίας. ἐπεὶ δὲ ὁ Φώτιος ἀπὸ τοῦ καθηρημένου ἐχειροτονήθη, καὶ δι' ἄλλα μέν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ δέξασθαι ἀπὸ τοιούτου τὴν ἱερωσύνην ἀναθεματίζεται ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ρώμης, Λέοντος, Βενεδίκτου, Νικολάου Ἀδριανοῦ, Ἰωάννου, Μαρίνου, Ἀδριανοῦ ἑτέρου, καὶ Φορμόσου. *Photius quadraginta quinque annis, ad hodiernum usque diem, palam anathemate feritur à Leone Papa, usque ad Formosum. Nam annos undecim anathematizatur secularis & laicus, tamquam qui cum Gregorio Syracusano exautorato anathematizatoque communicaret, & alios triginta quatuor, postquam sacris initiatus est. Etenim Leo Pontifex, & Benedictus, & Nicolaus, Gregorium propter varias causas anathemate damnabant. Vbi vero Photius à damnato consecratus*

eratus est, cum propter alia ipsius facinora tum quod sacris à Gregorio esset initiatus, anathematizatur à novem Romanis Pontificibus, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, & Formoso.

XVIII. Nota, lector, tempus, quando hæc scribuntur; Formosi scilicet anno primo, μέχρι τῆς σήμερον, *ad hodiernum usque diem.* Et infra: τὰς ἀναθεματισθέντας ἀκεραίως ὑπὸ τῶν πατέρων μέχρι τῆς νῦν. *anathematizatos à Patribus ad hunc usque diem;* trigesimo sexto anno post dictam fabulam. secundo, inter horum annorum numerum non contineri annos illos, quos tribuunt dictæ Ioannæ. quos, si clarissime demonstravero, omnino non esse, certum erit argumentum, nec Ioannam, quæ illis annis dicitur vixisse, fuisse; quos si reliquis Romanorum Pontificum addas, anni excommunicationis Photii non erunt quadraginta quinque, sed quadraginta septem, & amplius; ut autor vult hoc loco, & infra, τὰς μὴ λυθέντας ἐν ὅλοις τεσσαράκοντα πέντε χρόνοις, *non absolutos per omnes quadraginta quinque annos.* Hoc assequendi illa erit ratio certissima. Primo Leonis anno, Methodio Patriarchæ succedit

dit Ignatius. Is, in Patriarcham conſecrandus, ne initiationi ſuæ intereſſet Gregorius, de maleficiis reus factus, aliò amandat. Interea per otium cauſa ipſius diligenter cognita exautorat ipſum, unaque cum eo aſſeclas & familiares, & inter eos præcipuum Photium, laicum. Anno primo Nicolai, Ignatio à ſede deturbato ſubrogatur Photius, ad illa usque tempora laicus, ſpatio ſex dierum initiatus, & conſecratus Patriarcha per Gregorium excommunicatum; & movet turbas in Eccleſia. Quare ita menſurandi ſunt hi anni. A primo Leonis, ad primum Nicolai, annos undecim tantum fuiſſe, expreſſe docet illius temporis veriſſimus ſcriptor Nicetas, in vita Ignatii. *Vndecim igitur ipſis annis Ignatius ab occupata primum Sede Conſtantinopolitana, omni ratione conatus*, &c. A primo Nicolai ad Formoſum reliqui triginta quatuor numerantur; ſi duos annos, & menſes Papiſſæ addes, alius erit numerus locupletior excommunicationis Photii, ſed mendax, & impudens, & præter rationem temporum. Quod ut ictu oculi aſſequi poſſis, en tabulam annorum Chriſti, annis Pontificum reſpondentem.

DCCCXLVII	Leonis I.	Methodio succedit Ignatius.
DCCCXLVIII	II.	
DCCCXLIX	III.	
DCCCL	IV.	
DCCCLI	V.	
DCCCLII	VI.	
DCCCLIII	VII.	
DCCCLIV	VIII.	Ignatius, Synodo C. P. celebrata, excõmunicavit Gregorium Syracusanum. Ejus condemnatio, audito Ignatio, confirmatur à Leone. Styl. Leo moritur XVI. Kal. Augusti. post XV dies eligitur Benedictus.
DCCCLV	IX. qui Benedict. I.	Gregorius ad Benedictum confugit, tamquam injuria lacessitus ab Ignatio, & Benedictus confirmat ejus damnationem. Styl.

DCCCLVI	Bened. II.	
DCCCLVII	III.	In enumeratione annorum Benedicti, mirum, ut Funcius ineptiat.
DCCCLVIII	Nicol. I.	Ignatius à Sede deturbatur; ſubrogatur Photius, ad illum usque diem laicus.
DCCCLIX	II.	
DCCCLX	III.	Barda ſcholas aperit Byzantii.
DCCCLXI	IV.	Ignatius, revocatus injuſte à Conciliabulo Photiano, damnatur.
DCCCLXII	V.	
DCCCLXIII	VI.	Photius Romæ à Nicolao anathemate obſtringitur.
DCCCLXIV	VII.	
DCCCLXV	VIII.	
DCCCLXVI	IX.	Bardas occiditur à Michaële.
DCCCLXVII	X.	Pulſo Photio à Baſilio Ignatius reſtituitur.

DCCCLXVIII	Hadriani I.
DCCCLXIX	II.
DCCCLXX	III.
DCCCLXXI	IV.
DCCCLXXII	V.
DCCCLXXIII	Ioañis I.
DCCCLXXIV	II.
DCCCLXXV	III.
DCCCLXXVI	IV.
DCCCLXXVII	V.
DCCCLXXVIII	VI.
DCCCLXXIX	VII.
DCCCLXXX	VIII.
DCCCLXXXI	IX.
DCCCLXXXII	X.
DCCCLXXXIII	Marini I.
DCCCLXXXIV	Hadriani I.
DCCCLXXXV	Stephani I.
DCCCLXXXVI	II.
DCCCLXXXVII	III.
DCCCLXXXVIII	IV.
DCCCLXXXIX	V.
DCCCXC	VI.
DCCCXCI	Formosi I.

XIX. Augent vim argumenti non ſolum nomina, ſed etiam numerus Pontificum expreſſus, ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ρώμης; *à novem Pontificibus Romanis*: quæ verba, cum habeantur & in codice Græco Vaticano M. S. & in excuſo Coloniæ Gl. & ſint maximi momenti, neſcio qua ratione omiſerit interpres Latinus. Ratiocinare igitur: Photius fuit excommunicatus à novem Pontificibus, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, Formoſo, per quadraginta quinque annos: ergo Ioannes iſte, qui ponitur inter Leonem & Benedictum, non fuit: alias, præter annorum numerum auctum, ipſe etiam Pontificum numerus augeretur.

XX. Breviarium hoc Synodi in conſpectu omnium erat; cætera Romanis æque ac Græcis patebant. ſi Græcos fefelliſſet, ſane Romanos, qui illuc quotidie concurrebant, fallere non potuiſſet. Arguiſſent hi Græcos ipſos de mendacio: numerum annorum & Pontificum decurtatum, mota lite, objeciſſent. Conſtantinopolitana ergo Romanam Eccleſiam ab injuria, quam ei illuſores intulerunt, locupletiſſimo ac certiſſimo teſtimonio vindicat.

XXI.

XXI. Iisdem teſtimonio & ratione fraus etiam eorum aperte detegitur, qui Ioannam hanc non inter Leonem & Benedictum, ſed annis, vel DCCCLIII, vel DCCCLIV, vel DCCCLVII, vel DCCCLVIII, ſediſſe dicunt.

XXII. Paululum adhuc, lector candide, Conſtantinopoli immoremur. Michael tertius, (habes jam hominem,) Imperator Conſtantinopolitanus, poſt optimam piamque ſanctiſſimæ matris educationem, ſceleratorum ſcurrarum uſu, pudore exhauſto, circa initia Pontificatus Benedicti, quem Papiſſæ ſucceſiſſe iſti garriunt, repulſam ab Imperii adminiſtratione matrem Theodoram in Monaſterium relegat; occiſisque probis viris, non ſenſim & comode ſed repente in omnium nequitiarum ſentinam corruit, omnium ſcelerum colluvione pollutus. Exarſit in leges Politicas, in Eccleſiaſticas ſæviit, veneranda adorandaque noſtræ religionis myſteria, flagitioſiſſimus homo, perdita audacia contaminavit. Eligit ſibi, ex ſcurrarum mimorumque ſorde, ſpurciſſimos nebulones; horum nonnullos Diaconos, alios Sacerdotes, alios muſicos, horum omnium nequiſſimum, Patriarcham creat. Hos, veſtibus ſacris indutos com-

ptosque, ſacerdotalia ſibi ipſi & populo exercere jubet. Et majeſtatis, dignitatis, & decoris Thronus, horum ludibrio, fit ipſo luto lutulentior. Sibimet de hoc Imperator gratulatur, & plaudit; ita ut non erubeſceret publice jactare ſacrilegus: Mihi Theophilus, Cæſari Photius, Chriſtianis Ignatius eſt factus Patriarcha. Quis hunc hominem, ſi Ioanna illo tempore in throno Petri ſediſſet, continuiſſet, ne quid de ea adderet, Romanisque exprobrans, exprobrationem ſuorum flagitiorum declinaret? Certe Romanæ Sedis reverentia non fecit.

XXIII. Et Ioannæ Pontificis Pontificatum, & mortem, ſi fuiſſet, nec ipſe nec alius potuiſſet ignorare. Etenim, in diſſidiis inter Ignatium, & Gregorium primò, deinde & Photium, frequentes hinc & illinc miſſi legati, qui poſtea propter male obitam legationem a Romanis Pontificibus exautorati & excommunicati, damnati ſunt; propter injuriam acceptam, Romanæ Sedis dedecora non ſiluiſſent. Qui ſi obmutuiſſent, alii permulti, & donis & honoribus accumulati, non, quod verum fuiſſet, tacuiſſent, ſed, in gratiam bene meritorum, nequiſſime id, quod non erat, finxiſſent. Qui enim habent

manus

manus venales & animos, ut & linguam & fidem venales quoque habeant neceſſe eſt.

XXIV. Perpende, lector, illorum temporum rationem. Iisdem fere temporibus, quibus in Oriente Imperator furit in ſacra, Moguntiaci in Germania mulier, Thiota nomine, ut tradunt Francorum annales, & Sigebertus in Chron. res Eccleſiaſticas perturbabat. Etenim novam ſe Prophetiſſam vocabat, uſurpabatque publice docendi munus, & concionandi. Hinc multi, ſacra doctrina poſtpoſita, eam quaſi magiſtram cælitus deſtinatam ſecuti ſunt: re poſtea detecta, Synodali judicio damnata eſt. Habe, lector, quod mihi in animo eſt certum, nec ambiguum. Poſterioris ſeculi homines nonnulli, rudes illi quidem & ſimplices, dum audiunt, inter Leonem & Benedictum, vel ſaltem illo tempore, feminam quandam Moguntiacam, non tantum prophetaſſe, ſed & prædicaſſe, obiiſſeque alia munia, quibus ſummi Sacerdotes decorantur; animum à femella, quam nec cogitaſſe tantum ſcelus credunt, avertentes, ad principem omnium magiſtram, Petri Cathedram ſcilicet, cujus id munus eſſe optime norunt, inducunt, & a Ger-

mania in Italiam, à Moguntiaco Romam transferunt. Alii, ſceleſti illi quidem, malitioſe totum hoc innocentiſſimum Petri thronum traducunt, & Germanicam infamiam honoratiſſimæ Romanæ Eccleſiæ adtribuunt. Vt facilius fallere poſſint, Ioannam iſtam Anglicam, Moguntiacam eſſe volunt; &, lepidi fabulatores, perbellis, etſi fictitiis, narrationibus veſtiunt, & compte fucatam exponunt. Nec aliunde mihi videtur veriſimilius, quam à Moguntiaca iſta, Ioannem Moguntiacum originem, cum tempora reſpondeant, habuiſſe.

XXV. Michaël alter, Conſtantinopolitanus, & Leo Achridanus, ſuperbiſſimi homines, poſt centum & ſeptuaginta annos, quando jam non tum primo ſuſpicio, ſed improbum factum ſermo atque fama ſecuta fuiſſet, à Leone nono acriter vexati, illis exprobrante, Conſtantinopolitanæ Sedis autoritatem neque in pietate neque in integritate, neque in gratia accepta à Deo, cum Romana comparandam eſſe, quod in illa jam ſederit aliquando femina; æquo ſilentio tantum dedecus tulerunt, nec par pari reddiderunt Pontifici, opprobrium illi non minus intimum opponentes. Non habuerunt igitur quid ſimile, quod oppone-

ponerent, ut injuriam pari injuria, si potuissent, in Romanam Ecclesiam, homines procacissimi, propulsarent.

XXVI. Eo ipso tempore, quo Marianus, scribebat autor tractatus; Qua ratione à recto veritatis tramite Latini aberraverint. Περὶ τῆς τῶν λατίνων αἰτίας, ὅπως ἀπέστησαν τοῦ ὀρθοῦ δόγματος, καὶ πότε. cujus principium, Κατὰ ποῖον καιρὸν, καὶ παρὰ τίνων αἱρεσιωτῶν οἱ Ιταλοὶ ἐδιδάχθησαν; Homo nequam, Romani nominis & innocentiæ hostis, quamquam novas machinatus artes, quibus Catholicam Ecclesiam impeteret, tamen in serie Pontificum nullam agnoscit Ioannam, sed Benedictum Leoni successorem fuisse tradit. Τέθνηκεν, inquit, ὁ ῥηθεὶς Λέων, καὶ Στέφανος αὐτὸν διεδέξατο, τοῦτον Πασχάλιος, τοῦτον Εὐγένιος, τοῦτον Βαλέντιος, τοῦτον Γρηγόριος, τοῦτον Σέργιος, ὁ καὶ Πελάγιος, τοῦτον Λέων, τὸν δὲ Λέοντα ὁ Βενέδικτος, *Moritur dictus Leo*, (loquitur de Leone tertio;) *hunc excipit Stephanus hunc Paschalius, hunc Eugenius, hunc Valentius, hunc Gregorius, hunc Sergius, qui & Pelagius dicebatur, hunc Leo, Leonem autem Benedictus.* Et infra: ὁ δὲ μακάριος Λέων, ὁ τῆς Ῥώμης οὐ μισθωτὸς, ἀλλ' ἀληθινὸς ἀρχιερεὺς καὶ γνήσιος ἐν ἀπορίᾳ ἦν, & paucis interjectis, Παρῆλθε τὸν βίον Λέων οὗτος ὁ

ἁγιώτατος, καὶ κατέστη τούτου διάδοχος Βενέδικτος ὁ θεῖος διάπυρος ὢν τοῦ ὀρθοῦ τῶν Χριστιανῶν δόγματος ἑλληνιστὶ παρὰ πάντων τῶν Ιταλῶν τὸ τῆς πίστεως Σύμβολον ἀνομολογεῖσθαι ἐθέσπισεν. *Verum beatus Leo, Romanæ Sedis non mercenarius, sed verus & legitimus Pontifex, anceps hærebat.* Et, *Sanctissimus hic Leo vita excessit; & hujus successor factus est divinus Benedictus, qui, cum maximo rei Christianæ, rectorumque dogmatum propagandorum studio teneretur, ab omnibus Italis ut Fidei Symbolum Græce pronunciaretur, præcepit.*

XXVII. Autor libelli, de modo quo Latini à Græcis separati primatu ceciderint, ejectique fuerint è diptychis, cujus titulus, Διήγησις, πῶς καὶ τίνα τρόπον ἐχωρίσθησαν ἀφ' ἡμῶν οἱ Λατῖνοι, διὸ καὶ τῶν πρωτείων αὐτῶν ἐστερήθησαν, καὶ τῶν δυπτύχων ἐξεβλήθησαν: libri principium, Ἐν τῇ ἑβδόμῃ Συνόδῳ, ἣν Αδριανὸς Πάπας, (quisquis ille fuerit, nomen quippe adhuc incertum, quod sciam; fuit is quidem homo Græcus, sed odio atque acerbitate in Romanam majestatem nemini secundus,) initio libri catalogum nonnullorum Pontificum concinnans, qui eo tempore, quo Ioanna ista femina fuisse fingitur,

gitur, Sedem Romanam rexerant, nullum alium inter Leonem & Benedictum ponit: & inferius, Benedictum Leoni successisse, apertis verbis fatetur. Διὰ τοῦτο, inquit, καὶ ὁ Πάπας Λέων τὰς ἐν Σκευοφυλακείῳ ἔσας χαλκὰς ἀσπίδας ἐγκολαμμένον ἐν ἑαυταῖς ἐχέσας τὸ ἅγιον Σύμβολον ἀνεσήλωσεν ἐν τῇ Ρωμαίων Ἐκκλησίᾳ, εἰς ἀποτροπὴν μὲν τοιούτων αἱρεσιωτῶν, σήελμα δὲ Χελωνύμα λαοῦ. ὁ δὲ μετὰ Λέοντα Βενέδικτος ὁρῶν πάλιν ὑπὸ τῶν εἰρημένων αἱρεσιωτῶν τὸν Θεοῦ λαὸν λυμαινόμενον, διὰ γραμμάτων ἑλληνικῶν τε καὶ ῥωμαϊκῶν ἐκφωνεῖσθαι παρέδωκεν τὸ ἅγιον Σύμβολον. *Propterea Leo Papa scuta aerea, quæ in Sceuophylacio asservabantur, quæque sanctum Symbolum in semetipsis insculptum continebant, in Romana Ecclesia in sublime erexit, ut similes vitarentur hæretici, Christianusque populus confirmaretur. Qui vero post Leonem successit Benedictus, cum à dictis hæreticis verum Dei populum lædi cerneret, literis scriptis cum Græce tum Latine alta voce ut sanctum Symbolum recitaretur tradidit.*

XXVIII. Idem repetit alius autor, cujus nomen in occulto ad hunc diem latet, (utinam insignis ejus malevolentia & odium in Romanum nomen latuisset;) in libello con-

lo contra Romanam Ecclesiam, cujus titulus, Διήγησις ἀκριβὴς κατὰ τῶν ἀρχιερέων τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης, καὶ ὅπως ἀνεφύη ἡ τούτων αἵρεσις. Quippe narrationi de Leone Papa, & scutis æreis, expresse subdit, ὁ δὲ μετὰ τὸν τοιοῦτον Λέοντα Βενέδικτος, καὶ αὐτὸς Πάπας. *Et qui post hunc Leonem Benedictus, & ipse Papa.*

XXIX. Si præcipuus horum autorum scopus est, ut odium in Latinos, atque infamiam, dicendo excitent, vel levissimis quandoque undique conquisitis nugamentis; quî credas, tantum nefas dedecusque in his libellis, quibus maligne Romanæ Ecclesiæ infamiam inurere modis omnibus tentant, hos autores æquo silentio præteriisse? Pietas in Deum quem multis nominibus scelestissimi offendunt, in Romanam Ecclesiam reverentia, cui innocenti, malignitate pessima, contumeliam faciunt, amor in homines Græcos quos dolosi deludunt, non potuit, nec linguam nec calamum impedire, ne fabulam hanc, si illam scissent, scriptis mandarent. Et acuti sane homines, dum illa scriberent, ut verisimile est, examinaverunt omnia, conquisiveruntque diligentissime; tandem animum ad scribendum appulere. In autoribus, quos ipsi legerant, (legisse autem multos

multos illius temporis scriptores, res ipsa tractanda cogebat,) talis fabula certe non erat; quam, si fuisset, nusquam conticuissent.

XXX. Præterea in Dialogo Orthodoxi Græci scilicet, ut autor Dialogi sibi arrogat, cum Latino, de Azymis, & de Processione Spiritus Sancti; cujus principium, Λατῖνος. Δὶα τί ἀποσχίζεσθε ἀφ' ἡμῶν, καὶ ȣ̓ συγκοινωνεῖτε ȣ̓δαμῶς; dum de summorum Pontificum successione, illo ipso tempore quo Ioannes femina ponitur, disserit, Benedictum post Leonem Ecclesiæ præfuisse scribit. Ecce illius verba. Μανθάνει ταῦτα ὁ τ̃ Ρώμης ἁγιώτατος Πάπας Λέων, λυπεῖται, ἀδημονεῖ. εἶτα τί; ἐξάγει μὲν ἐκ τȣ̃ Σκευοφυλακείȣ τὰς ἱερὰς τ̃ θείȣ Συμβόλȣ ἀσπίδας, ἅς ὁ ἁγιώτατος Λέων ὁ τὴν ςήλην τ̃ ὀρθοδοξίας συγγράψας ἀπὸ τ̃ τετάρτης Συνόδȣ προεναπεθησαύρισε θείῳ κινȣ́μενος πνεύματι ϗ ἀναθέματι καθυπέβαλε τȣ̀ς μέλλοντας μετακινῆσαι ἐκ τȣ̃ ἁγίȣ Συμβόλȣ τὸ οἰονȣ̃ν, καὶ κατὰ πρόσωπον ταύτης τ̃ Εκκλησίας ἀναςηλοῖ, πρὸς τὸ ἀναγινώσκεσθ ὑπὸ πάντων. ἀλλὰ δὴ καὶ ἑλληνιςὶ εἰς ἅπασαν Εκκλησίαν τελȣ̃σαν ὑπὸ τὴν Ρώμην κελεύει ἀναγινώσκεσθ, ϗ μετ' μέλȣς τὸ ἅγιον Σύμβολον. ὁ δ' γε μετ' αὐτὸν ἀρχιερατεύσας θεῖος Βενέδικτος

καὶ

καὶ εἰς πάντα τὰ Πατριαρχεῖα ἐπιστέλλει, μὴ δέχεσθαι Πάπαν τῆς Ρώμης εἰς κοινωνίαν, πρὶν ἂν τὴν ἑαυτοῦ ὁμολογίαν ὀρθόδοξον κομίσῃ πρὸς πᾶσαν τὴν τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίαν. *Audit hæc Romanæ Sedis Pontifex, sanctissimus Leo: dolet animo, mœretque. Quid inde? sacra divini Symboli scuta, quæ sanctissimus Leo, fidei orthodoxæ, columnæ ob firmitatem nuncupatæ, scriptor, divino afflatus numine, jam inde à quarta Synodo, tamquam thesaurum conservarat, & omnes in divino Symbolo, quidquid illud fuerit, mutare tentantes, anathemate feriit, & Sceuophylaceio extracta in prospectu Ecclesiæ, ut ab omnibus legi possent, erexit. Quinimo per universas Ecclesias, Romæ subjectas, Græce recitari, & cum cantu, sanctum Symbolum præcipit. Qui vero post ipsum summo Sacerdotio præfuit divinus Benedictus, ad omnes Patriarchales thronos datis literis, mandat, nullum posthac Romanum Pontificem in communionem recipi; ni prius suam fidei confessionem, quæ orthodoxa fuerit, per omnem Christi Ecclesiam promulgarit.*

XXXI. Putasne, lector, auctorem hunc, quisquis ille fuerit, (Barlaamum monachum, qui multis scriptis editis Romanam Ecclesiam deprimere conatus est, & rerum tractatarum ratione, & orationis stylo ac methodo,

methodo, aliisque, esse putant, & ego facile mihi persuadeo, cum omnia, quæ hic habentur, in aliis Barlaami scriptis deprehenderim,) sic in Romanam Sedem injurium, ut hoc libello aliisque fere omnibus manifestum est, injuriam hanc Ioannæ feminæ, sive calumniam, tunc, cum omnibus modis dicenda erat, taciturum fuisse? Næ, ego fungus sim, si credam.

XXXII. Quin, inquies, apud Barlaamum, fabellam de Papissa, veluti certissimam, tractatu, Περὶ τ τῦ Πάπα ἀρχῆς, qui incipit, Οἱ περὶ τὰς ἐπιςήμας δεινοὶ ὦ χρηςὲ Φράγκισκε, Græce & Latine, Salmasii opera, typis Wecchelianis, apud Claudium Narnium, Ioanne Luydo interprete, anno MDCVIII, expositam fuisse; indeque illum non levem sui argumenti sumpsisse rationem, scribit namque cap. XIV.: ἢ μᾶλλον ἵνα οἰκειοτέρῳ χρήσομαι παραδείγματι, εἴτις ὑπὲρ τῦ ἀκολάςε ἐκείνε γυναίκε τῦ γενομένε Πάπα ἀπολογεῖσθαι ἐθέλοι, λεγέτω, ὅτι ἐπειδὴ τ πρὸ αὐτῆς ἀδεὴς γυνὴ ἦν, διὰ αὐτὴ ἄρα. καὶ πῶς ταῦτα σώφρονος λογισμῦ; quod sic vertit Luydus. *Aut potius, ut exemplo magis familiari utamur, si quis impudicæ illius mulierculæ, quæ Papa fuit, causam velit agere, dicat, quandoquidem nulla ante eum fœmina Papa fuit,*

nec

nec ipſam quidem fuiſſe. Quæ cum ſana rectaque ratione quo tandem pacto cohærent?

XXXIII. Dicerem, Barlaamum, ſequioris ſeculi ſcriptorem, parum pium, & in Romanam Eccleſiam parum æquum, rumorem populi ſecutum, eam literis prodidiſſe. Quemadmodum alii Laonico Chalcocondylæ exuli, rerum Romanarum imperito, & Pontificibus infenſo, reſponderunt. At, uti certiſſimam dixerit; fides illius cum ſuſpecta ſit, teſtimonium ipſe improbum non admitto. Autoritas namque, ſæpius diffamata, mendaciique rea, fidem non facit, nullum dat firmum & grave teſtimonium: inimico teſti non credimus. Sed cum à Barlaamo in hac re, neque de tempore, neque de nomine, neque de aliqua alia re quæ hiſtoriam reſpiciat, aliquid certi ſtatuatur: ſuſpicor, ipſum aliter ac nunc legitur, ſcripſiſſe; & nomen unum in locum alterius, incuria ſcriptoris, ſive etiam data opera, vel ſola dictionum affinitate, irrepſiſſe. Scripſerat enim λεγομένου: & ſcriptores, litterarum ſimilitudine decepti, ſecundam lineam primæ literæ paullulum erexerunt, caudamque tertiæ inferius detruncarunt, &, pro recta

auto-

autoris dictione, malam fecerunt, illud γενομένε intrudentes. Nam Barlaamus fabulam, rumore quodam inani populi diffuſam, veluti rumorem, & auram, eamque levem, titubans, non determinans, in ſcriptis retulit; quod magis argumentationis illius vim explicat. Legendum itaque, ἢ μᾶλλον, ἵνα οἰκειοτέρῳ χρήσωμαι παραδείγματι, εἴτις ὑπὲρ τῆς ἀκολάστε ἐκείνης γυναικὸς τῆς λεγομένης Πάπα ἀπολογεῖσθαι ἐθέλοι. Quaſi diceret; Vel potius, ut exemplo magis familiari utar, ſi quis pro impudica illa muliercula, quæ dicitur (nempe, ſive illud verum ſit ſive falſum, non diſcerno, tantum levem auram rumoremque audio, & vellem eſſet verum, ut magis familiaribus, Latinis, rationibus Latinos arguerem,) fuiſſe Papa, defenſionem ſuſcipere vellet. Neque enim adduci poſſum, ut credam, tam aperte hunc virum ſibi è diametro in eadem re adverſari.

XXXIV. Hiſtorici Græci, fere omnes Romano nomini immerito infenſi, res geſtas toto orbe terrarum ſcriptis mandarunt: ſi quid eſt, quod Romanis detrahat, (utinam non malitioſe etiam quandoque confictum,) propalant, tamquam buccinato-

res omnia voce replentes ; quod laudis eſt, iniquiſſime detractum ſilent: dum in hæc tempora incidunt, quibus veluti victores ex inimicorum veſania juſtiſſimum agere triumphum poſſent, reliqua omnia proſequentes, fabellæ hujus nullam faciunt mentionem. Sed, qui illius meminerint, quod nec ſomniare unquam potuiſſent?

XXXV. Altum itaque ſilentium in ſcriptoribus Græcis, graviſſimum ac firmiſſimum erit argumentum, talem feminam in Sede Pontificia nunquam ſediſſe. Siluerunt illi, ergo non fuit: optima concluſio eſt. Inimico quippe, ſi verbis & contumeliis alterum dilacerat, neque quod in cauſa eſt effatur, facile credi poteſt: neque enim veriſimile eſt, ſilentio præteriiſſe, quæ ad ſuam rem maxime conducerent.

XXXVI. A Græcis, ſi placet, ad Latinos. Anaſtaſius Bibliothecarius, qui Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, & Nicolai I, creationi præſens interfuit ; inter Leonem IV, & Benedictum III, nullam Ioannam interſerit, ſed apertis verbis confitetur, poſt interregnum quindecim dierum, hunc Benedictum Leoni IV. ſubrogatum fuiſſe. Lupus,

pus, Abbas Floriacensis, epist. ad Benedictum III, Nicolaus Papa, successor Benedicti III, epist. VIII. & IX. ad Michaëlem Imperatorem, & ea, quam scripsit ad Episcopos Suessionensis Concilii; Acta Concilii Tullensis, sub Nicolao I. celebrati, epist. Synodali, Benedictum Leonis successorem nominant.

XXXVII. Nihil hac de re Ioannes Diaconus, & Ado Viennensis, qui nono itidem seculo scripserunt; nihil Regino & Luitprandus, qui decimo; nihil Hermannus Contractus, Lambertus Scaffnaburgensis, qui undecimo; nihil denique subsequentium seculorum scriptores, Ademarus, Hugo Floriacensis, Leo Hostiensis, Ioannes Cremonensis, Florentius Wingorniensis, Honorius Augustodunensis, Nicolaus Maniacutius, Conradus Abbas Vrspergensis, Albertus Stadensis, Vincentius Burgundus, Matthæus Westmonasterienſis, aliique posteriores: nihil manuscripti & antiqui Indices Pontificum, quos videre contigit, inter Leonem & Benedictum.

XXXVIII. Adde; in scriptis autorum, quibus adversarii ad fabellam corroborandam utuntur, non haberi eo modo, quo

ipſi ſomniant & vellent. Illi namque, ſi ita tradiderint, non affirmantium ſed hæſitantium titubantiumque in morem, ſcripſerunt; quos & poſteriorum potior pars eſt ſecuta; interponentes illa, *ut aſſeritur, ut fama eſt, ut dicunt, ut commemorant.* plebeiam ſcilicet auram eſſe, ſciolorumque hominum rumorem fuiſſe, innuunt; quem, non probantes, ſed contemnentes potius, lectoribus prudentiſſimis deridendum proponunt. Etſi nimis audaces hæretici illa verba è multis codicibus, quod eſt neotericorum ingenium, eraſere.

XXXIX. Vide ſis plura, Lector, de hac fabula apud Onuphrium Panuinium, in Vitis Pontificum Platinæ; Gilbertum Genebrardum, in Chronolog. anno DCCCLVIII; Iodocum Coccium, in Theſaur. Cathol. tom. I, lib. VII, art. XIV; Cæſarem Baronium, Annalium tom. X. anno DCCCLIII; Bellarminum, Controverſ. tom. I, Contr. III. lib. III. c. XXIV; Nicolaum Serarium, in Moguntiacis; Iacobum Gaultierium, in Tabul. Chronolog. ſecul. IX; Severinum Binium, tom. III. Concil. part. I, notis in Vita Benedicti Papæ; Alanum Copum, Dial. I, c. VIII; Petrum Maturum, Annotat.

notat. in D. Antonini Chron. poſt Leonem IV; Nicolaum Sanderum, de viſib. Monarch. Eccleſ. lib. VII; Aubertum Miræum, in Sigeberti Chronicon; Iuſtum Lipſium, Epiſt. ad Franciſcum Suertium v. Kal. Mart. CIↃ IↃ XCV. data, cujus autographum aſſervari apud ſe, tradit idem Miræus in Sigeberti Chron. Simonem Majolum, Colloq. III; Iacobum Gretſerum, in Defenſione Bellarmini, Tom. II, Lib. III, Cap. XXIV.; Jacobum Gordonum Lib. VIII. Oper. Chron. anno DCCCLIII, Franciſcum Longum à Coriolano, in Breviar. Chronolog. anno DCCCLIII; & ante alios Florimundum Ræmundum, libello de hac re edito Gallice & Latine à filio. Qui omnes fabellam hanc exactiſſime pertractatam refellunt evidentiſſimis rationibus.

XL. Idem præſtitit, licet Pontificiæ dignitati parum æquus, Papirius Maſſonus, de vitis Epiſcoporum Vrbis. & Ioannes Aventinus, Annal. lib. IV, longe tamen diverſam ab hac hujus rei tradens originem. *Albertus*, inquit, *locupletiſſimus Etruriæ Princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in poteſtate habuit. Ejus ſocrus Theodora, ſcortum nobile atque imperioſum, Romæ dominabatur, Ioannemque nonum, amatorem*

ſuum, Bononienſibus primo, deinde Ravennatibus, poſtremo Romanis, impoſuit, primariumque ſacerdotem creavit, Vnde fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgarit, hiſce temporibus fuiſſe Sacerdotem maximum feminam, quæ appellata ſit Ioanna.

IV.

JO. PHILIPPI PALTHENII EPISTOLA

DE

PAPISSA COMMENTITIA.

Ornatissimo Juveni Dn. JOHANNI BÄHR,

S. P. D.

Jo. Phil. Palthenius.

UT uno velut obtutu perspicias, rectiusque adeo intelligas, quæ de Johanna Papissa nuper disserui (*); ita habe. Existimo historiam hanc ortam ex statua quadam vel pictura, quæ sæpe, uti notum, veteris historiæ veritatem adulteravit: Certe pro fabula eam habeo, aliquanto tempore post vulgata, eamque in

(*) *Nuper disserui.*

rem defungi me poſſe puto unico ſilentii ſcriptorum illius temporis argumento, ſed recte adhibito & in clariſſima luce, quantum poteſt, poſito. Scilicet neutiquam videtur veriſimile, rem quæ palam in publicis locis, etiam ſub dio, per biennium fuit geſta, & cujus memoriam propagari voluit monumentis publice conſtitutis ipſa Romana ſedes, eam rem vel voluiſſe, vel potuiſſe diſſimulare iſtius temporis ſcriptores maxime hiſtoricos: *Non potuiſſe*: id liquere puto ex hiſtoriæ circumſtantiis, quæ narrantur: *Non voluiſſe*, manifeſtum videtur primum ex eo, quia non potuerunt; dein, quia multo magis atrocia & infamia memorant de Papis ſeculi X. imprimis Johanne XII. Denique quia inter ſcriptores illius temporis fuerunt ſic ſatis infenſi ſedi Romanæ, id potiſſimum agentes, ut oſtendant, eam ſedem non eſſe Spiritu S. ornatam, atque inde divino quodam jure auctam ſupra alias. Agebat id hoc ſeculo non tantum Photius & Hincmarus; ſed tota etiam Gallicana Eccleſia hoc & ſequenti ſæculo, ut liquere poteſt ex Actis Concilii Rhemenſis. Ne dicam, quod Nicolaus I. proximus Benedicti, qui excepiſſet Joannam, ſucceſſor indigerit figmen-

figmento Epiſtolarum decretalium ad tuendam muniendamque ſedis R. ſeu auctoritatem ſeu poteſtatem in Gallicanam Eccleſiam. Multa vero alia magis turpia memorant Galli & eorum præcipuus Hincmarus, ac dein Gerbertus, ſed nihil de Johanna papiſſa. Supereſt ergo unum hoc, ut dicamus mutilatos eſſe illius temporis ſcriptores hac parte. Sed ſi ita; neceſſe eſt, mutilatos fuiſſe, vel ante Proteſtantes exortos, vel poſt: Ante illos exortos nulla erat cauſſa tollendæ ex antiquis ſcriptoribus hujus Hiſtoriæ, quia tunc non vocabatur in controverſiam; Imo tantum abeſt, ut tunc eam voluerint ſublatam, ut e contrario priſcis ſcriptoribus recentiori manu ad marginem adſcripſerint, ut monitum jam viris eruditis, qui viderunt MSS. Codd. imo omnes novi ſcriptores certatim eam in ſuis Chronicis memorarint. Poſt Proteſtantes exortos cœptamque jam hanc controverſiam, non amplius potuerunt corrumpere Codices, quin manifeſtiſſima eſſet vel certiſſima fraus; ut taceam jam ab initio in proteſtantium poteſtate fuiſſe inſtructiſſimas Bibliothecas, Anglicanam, Heidelbergenſem, aliasque. Neque vero tantum operæ pretium in abolenda hac

hiſtoria ſitum arbitror, cum tot in antiquis hiſtoriis reperiantur flagitia Paparum, multo magis ſedem R. dehoneſtantia, quam hic merus error eligentium fœminam, quam virum putábant, meritis ingenii & ſcientiæ ſe commendantem. Univerſale caput eccleſiæ Romanenſi ſæpe alias defuit, & longiore quidem tempore, quam quo ſediſſe traditur Johanna: Si rem recte perpendas, nullum fuit certum caput, quo tempore convocatum eſt Concilium Conſtantienſe, quando tres ſimul erant Papæ, atque adeo viri probi neſciebant, ut ſcribunt, cui potiſſimum adhærerent; nec mirum; cum omnes eſſent tales, ut pariter a Concilio fuerint exautorati tanquam indigni & illegitimi: Sed & ubi fuit caput iſti eccleſiæ ſeculo XIV. quando a XX. Aprilis 1314., quo mortuus fuit Clemens V. nullus fuit Papa usque ad VII. Auguſt. 1316. quo creatus Joannes XXI. Ne quid dicam de Vigilio, tempore Juſtiniani, qui electus contra Sylverium artibus Theodoræ, a Pontificiis etiam hodie pro lupo, latrone, invaſore, habetur quam diu in vivis fuit Sylverius; At ſimulac hunc legitimum Papam neci dedit, quia nullus alius tunc erat, ipſe illo Vigilius ex

eo

eo tempore, pro legitimo ab iisdem habetur, licet nullus legitimationis actus interceſſerit, quam quod qui erat legitimus Papa ab ipſo fuerit fame enectus: Egregium vero Eccleſiæ hoc caput! atque illa fere ſunt quæ proxime ad rem ipſam pertinere videntur. Reliqua illam tangentia controverſiam, utrum inter Leonem atque Benedictum Papa ſederit, alius, nunc mitto; de quibus perſpicue ſatis ni fallor, mentem meam (**) jam expoſui. Vale ac me tui ſtudioſiſſimum amare ne deſine.

Scribebam Gryphyswaldiæ ipſis Calendis Januarii Anno MDCCVIII.

(**) *Mentem meam jam expoſui.* Scilicet Cel. Autor digitum intendebat in Collegium quoddam privatiſſimos inter parietes Anno MDCCVI. & ſequenti habitum ſuper hiſtoriam Europæ modernam, germanice datum, ſat politice & pragmatico cum judicio ſcriptum, dignum ſane quod ederetur in publicum vel & ob ſuccinctam ſuam at ex verborum pondere gravem brevitatem. Quid? quod idem tempus circiter prælegerit ſcholas ſuas ſuper Puſendorffii illuſtris Compendii hiſtor. Part. I. publice in auditorio majore inter maximum ſemper auditorum ſtudioſorum confluxum mira cum vivacitate & gratia: ſicut & eadem ratione legens ſuper Partem III. in hiſt. Auſtriacam MCCX. & vel *ſtans* adhuc in cathedra, moriebatur Præceptor olim & meus tunc temporis, deſiderabilis,

V.

V.

SUPPLEMENTUM AD COMMENTATIONEM

In antiqua monumenta in agro Tigurino eruta.

EX litteris Viri Inluſtris, JOANNIS BVHERII, Senatus Regii, Principis, (*Preſident du Parlement de Dijon.*) ad JOAN. JACOBVM BREITINGERVM, Tigurinum, Commentationis Auctorem (*a*) ipſis Id. April. CIↃIↃCCXXVI. ſcriptis.

Monſieur.

(*a*) Qui tum, cum eam vulgarem, mihi incognitus erat, nunc vero, de quo mihi impenſe gratulor, amiciſſimus. Parat ille, jam bonis avibus præter alia novam ἰωνν Ο′ editionem, omnes reliquas præſtantia longe ſuperaturam, cui fauſtam Lucinam ex animo adprecor. Nuperrime ejus Vir doctiſſimus elegantiſſimum emiſit ſpecimen, integri operis deſiderium omnibus facile inſpiraturum. Illuſtris vero BUHERIUS, niſi omnia me fallunt, pererditæ illius de priſcis Græcorum ac Latinorum literis Diſſertationis, qua Cel. Montfauconius Palæographiæ ſuæ Græcæ calcem exornavit, auctor eſt.

Monſieur.

JE viens à Vos Antiquités, dont je vous rends mille graces de m' avoir fait part. Vous les avés renduës bien plus précieuſes ; par le ſavant Commentaire, dont vous les avés ornées, & où vous ne laiſsés rien à deſirer. J'ai ſur tout lû avec grande ſatisfaction ce que vous avés écrit ſur les pavemens de pierre en compartimens des Anciens. Ce morceau eſt bien travaillé. Je crois neantmoins que ſi vous voulés conſulter le Gloſſaire Latin de *Mr. du Cange, au mot : Muſivum, & aux ſuivans, vous y trouverés divers paſſages, qui pouront vous fournir encore de nouvelles lumiéres. Voyéz auſſi le même au mot :* Litboſtrotum. *Ce que Vous dites des Legions Romaines eſt pareillement trés recherché, & les plus habiles y trouveront des choſes curieuſes, & nouvelles, qui ne manqueront pas de leur faire grand plaiſir, ainſi que tout le reſte de votre Diſſertation &c. &c.*

Ex Literis J. J. BREITINGERI ad Inluſtr. J. BVHERIVM xv. kal. Sept. ſcriptis.

Quæ in antiqua illa Helvetiæ monumenta luſeram & Perilluſtri Domino NVNTIO & TI-

& TIBI haud improbari, lætor. Imprimis vero gratum fuit amicum illud Tuum monitum, ut *Gloſſarium Latinum* de vocibus *Lithoſtroti & Muſivi* conſulerem, de quo ne quidem cogitaveram: quamquam multa habeat, quæ noſtram ſententiam haud leviter firmare videntur. De Lithoſtroto hallucinatur *Brito* in *Vocabul.* *Lithoſtrotos*, inquit, *dicitur varietas pavimenti; vel variatio colorum in pavimento; vel congeries diverſorum colorum; vel pavimentum, vel quodcunque opus dummodo ex lapidibus diverſorum colorum.* Varietas colorum non magis pertinet ad Lithoſtrotum, quam certa aliqua lapidum figura vel magnitudo, quæ *Joan. de Janua* opinio eſt. Poſſunt tamen pavimenta lapidibus in varios colores tinctis ſtrata generali appellatione Lithoſtrata dici, quod ex lapidibus compoſita. Nec meliora ſunt, quæ addit Gloſſarii Auctor; differunt enim pavimentum & Lithoſtrotum, ut genus differt a ſpecie; ſiquidem Lithoſtrotum eſt pavimentum lapidibus ſtratum, quo ſenſu, niſi me omnia fallunt, in citato loco ex *Hiſt. Transl.* S. *Severini Noric. Epiſc.* hæc vox adhibetur; neque umquam quisquam dubitavit, quin viæ etiam publicæ lapidibus

bus fuerint ſtratæ, quod idem Gloſſarii Auctor tam operoſe adſtruit. Quæ ad vocem: *Muſivum* congeſſit, melioris commatis ſunt. Et *Scaligeri* quidem de Etymo nominis ſententiam, aliis omnibus longe præfero, vel ipſis meis conjecturis, quanquam non prorſus inconcinnis. Loca vero illa ex *Auguſtino*, *Paulino*, *Inſcriptionibus Rom.*, ſententiam meam de Muſivi operis ratione, quam picturam dixi, commendant. Egregius imprimis eſt locus ex *Leon. Oſt. Lib. III.* qui *Muſivarios* a Quadratariis aperte diſtinguit, & operis hujus rationem in certo picturæ genere conſtitiſſe docet: *Quam vero*, inquit, *periti ipſi artifices fuerint, ex opere ipſorum facile conjici poteſt; cum & in muſivo animatas fere effigies, & virentia quæque te plures* (me judice ſubſtituendum: *putes*) *aſpicere & in marmoribus* (diſtinguit ergo marmora a Muſivo opere) *omnigeni coloris flores pulcra varietate vernare vidèantur*, &c. Erant ergo *Quadratarii*, qui pavimenta opere teſſellato ſternerent: idem *Leo Oſt.* l. c. *Alii*, ait, *Eccleſiæ totius pavimentum lapideum pulcra varietate conſternerent* (& hic locus in mendo cubat; (neque enim dicimus: *lapideum pavimentum varietate conſternere*: legendum

dum omnino : *pavimentum, lapidum pulcra varietate conſternerent.* Patet inde falli Gloſſarii Auctorem, cum perhibet : *Muſivum opus dici illud, quod teſſellatum eſt lapillis variorum colorum.* Videtur tamen translatum hoc nomen ſequiori ævo, ad quæcunque apſidum arcuumque ornamenta, ſive picta, ſive inaurata, ſive lapillis ex marmore vel vitro texta. Καὶ ταυτα μεν δι' ταυτα. Ad quæ Inluſtris J. BVHERIVS, reponit : Tua de vocibus *Lithoſtroti* & *Muſivi* ſententia omnino mihi ſe probat, ſicut & tuæ in Leone Oſt. emendationes &c.

VI.

VI.

EXERCITATIO
DE
ATHEISMO PLATONIS.(†)

Auctore

JACOBO ZIMMERMANNO.

Clarissimo & Eruditissimo
Viro Jacobo Brukero S. P. D.
Jacobus Zimmermannus.

JUdicem Te, posco Vir Reverende, in controversia quæ tuam maxime cognitionem requirit. Atheismi, pestilentissimi erroris, accusatur, non unus e ple-

(†) Exquisita hæc multoque studio elaborata dissertatio Eruditissimi mihique conjunctissimi Viri, qui Apologiam Virorum Illustrium falso Atheismi suspectorum molitur, evidentissimo, si quid judico, esse argumento potest, doctrina, judicio, industria, reliquisque dotibus, ad illiusmodi institutum, laude certe dignissimum abunde eum instructum esse, ac proin omnino mereri, ut, quicunque valent, egregium, quod meditatur, opus consiliis suppetiisque suis promoveant.

be, Philoſophorum, ſed ipſe Plato, Veterum pariter ac modernorum laudibus in cœlum elatus. Accuſatur non ab obſcuris quibusdam hominibus, qui uti ſapere videantur, aliquando cœlum ipſum ſtultitia petunt, ſed Viris Celeberrimis & acerrimi ingenii P. Baylio & N. H. Gundlingio. Contra hos cauſam Platonis in me ſuſcepi tuendam. Quis autem de toto hoc negotio Te perſpicacius judicare poteſt? Tu non ſolum omnes veteris Philoſophiæ angulos perreptaſti, ſed Platoni ipſi longo uſu conjunctiſſimus es; teſtantur id non ſolum cultiſſimus libellus, in quo ſententias veterum & modernorum de ideis egregie explicuiſti, ſed & multæ diſſertationes elegantiſſimæ Diariis Eruditorum inſertæ. Tibi igitur Apologiam iſtam Platonis dijudicandam offero, tanquam ſpecimen futuri laboris. Spero Te rigidiſſimo eam examini ſubjecturum, candideque quid de ea ſentias aperturum: nullo partium ſtudio animus meus hac in diſceptatione tenetur, non ex eorum numero ſum, qui veteres paſſim in ſuam ſententiam pertrahere nituntur, omniaque quæ antiqua ſunt mirantur. Sed & ab iis diſcedo, qui nova tantum & recentia ſtupent, exiſtimantes, veteres

teres fungos tantum fuiſſe, perinde mihi eſt, utrum verum detexerit Plato, Zeno, vel Lokius aliquis aut Leibnizius. Atheorum numerum uti augere nolo ſic nec minuere. Apologiam equidem Virorum Illuſtrium falſo Atheiſmi ſuſpectorum in me conſcribendam ſuſcepi, ſed ita uti ab æternis veritatis legibus, quantum mihi perſpectæ ſunt, ne latum quidem unguem diſcedam. Et ne forte hac in parte errem, non unum ſpecimen quâ ratione Veteres & modernos defendam, Eruditis examinandum offeram, ut eorum obſervationibus admonitus, ſicubi erravero, in poſterum accuratius cuncta examinare poſſim. Tuum jam erit, Eruditiſſime Brukere, diſpicere, utrum Platonem recte defenderim nec ne. Præſta igitur Te Judicem uti Seuerum ita & Candidum. Ego interim illius Quintiliani memor ero. *De tantis Viris modeſte & circumſcripto Judicio pronunciandum, ne quod plerisque accidit, damnent, quæ non intelligunt.* Lib. 10. cap. 1. Sed jam ad rem ipſam venio.

II. Dixi Viros Eruditionis laude florentiſſimos P. Baylium & N. H. Gundlingium Platonem Atheiſmi & quidem Spinoziſmi arguere. Notum autem eſt, Spinozam

adſeruiſſe, unicam dari ſubſtantiam, eamque Deum eſſe. Ut igitur contrarium oſtendam, probabo teſtimoniis tum aliorum tum ipſius Platonis, 1. *celebrem hunc Sapientiæ Antiſtitem Ens aliquod æternum, ſapientiſſimum, quod Deum vocamus agnoviſſe*, 2. *Eum ſolerter Numen, illud a materia diſtinxiſſe*, 3. *nullo neceſſario vinculo cum materia conjunxiſſe*, 4. *Summam libertatem & imperium in materiam Deo tribuiſſe*, 5to. *tandem providam Dei ſapientiſſimi in omnia curam profeſſum eſſe.* Hiſce rite probatis accurate & prolixe virorum doctiſſimorum, quos jamjam citavi, præcipue Celeberrimi Gundlingii, rationes in contrarium allatas examinabo.

III. Adferamus igitur primo loco teſtimonia Veterum adſerentium Platonem Ens aliquod æternum & ſapientiſſimum, quod Deum vocamus, agnoviſſe. Plutarchus de placitis Philoſophorum Lib. 1. cap. 7. Σωκρατης και Πλατων το ἑν το μονόφοες, καὶ αὐτο φυες, το μοναδικον, το ὀντως ἀγαθον. Παντα δε ταυτα των ὀνοματων ἐις τον νȣν σπευδει, νȣς ȣ̂ν ὁ Θεος, χωριςον εἰδος, τȣτεςι το ἀμιγες πασης ὑλης, μηδενι παθητῳ συμπεπλεγμενον. Socrates & Plato unum ſingularis & per ſe ſubſiſtentis naturæ, ac ſolitarium, revera bonum

bonum ſtatuunt. Omnia autem hæc nomina ad mentem referuntur. Mens ergo eſt Deus, ſpecies ſeparata, hoc eſt ſincera ab omni materiæ miſtura; nec ulli rei, quæ pati aliquid poſſit, implicita. Apulejus de dogmate Platonis pag. m. 368. de Deo ſentit, quod ſit incorporeus. Is unus, ait, ἀπερίμετρος rerumque genitor, omnium extortor, beatus & beatificus, optimus, nihil indigens, ipſe conferens cuncta. Quem quidem cœleſtem pronuntiat, indictum, innominabilem, & uti ipſe ait ἄῤῥητον, ἀκατανώμαςον; cujus naturam invenire difficile eſt: ſi inventa ſit, in multos eam enunciari non poſſe. Auctor Philoſophumenωn cap. 19. Πλατων ἀρχας εἰναι τε παντος Θεον καὶ ὑλην καὶ παραδειγμα. Θεον μεν τον ποιητην καὶ διακοσμησαντα τοδε το παν καὶ προνοεμενον αὐτε Diogenes Laertius Lib. 3. δυω δε των παντων ἀπεφηνεν ἀρχας, Θεον καὶ ὑλην, ὁν καὶ νεν προσαγορευει καὶ αἰτιον pag. ſeq. της μεν ὁλης ὑσεσεως αἰτιον εἰναι τον Θεον, ὁτι πεφυκεν ἀγαθοποιον εἰναι το ἀγαθον. Maximus Tyrius totâ diſſertatione prima in eo eſt, uti probet ex mente Platonis & Deum eſſe, eundemque incorporeum. Nolo alia præcipue Patrum loca adducere eadem confirmantia, ſed Platonem ipſum audiemus.

Libro X. fere ab initio conqueritur de contemtu Numinis; faciunt autem & dicunt impium aliquid in Deos, vel qui Deos esse negant, vel quia, si putant esse Deos, de rebus tamen humanis curare ipsos minime arbitrantur: vel tertio quamvis & sint, & de hominibus curam habeant, facile tamen placari eos votis & sacrificiis opinantur. Monet simul prudenter, cum ejusmodi hominibus argumentis, non vi esse agendum. Argumentatur deinde pro existentia Dei ex Ordine universi, & communi omnium hominum consensu pag. m. 604. πρωτον μεν γη και Ἡλιος, ἀςρα τε τα ξυμπαντα, και τα των ὡρων διακεκοσμημενα καλως ὑτως, ἐνιαυτοῖς τε και μησι διειλημμενα, και ὁτι, παντες Ἑλληνες τε και βαρβαροι, νομιζουσιν εἰναι Θεους i. e. primum quidem terra Sol sydera, ipsumque Universum, temporum quoque ornatissima varietas, annis mensibusque distincta, id ostendunt, Græcorum præterea Barbarorumque omnium consensus, Deos esse fatentium. Pagina sequenti *rejicit eorum opinionem, qui adserunt, omnia vel fortuna vel naturâ fieri.* ATH. res omnes nonnulli ajunt, quæ fiunt, quæ futuræ, quæque factæ sunt, vel natura vel fortuna vel arte fieri. CLIN. & probe qui-

quidem. ATH. quare ſequamur ipſos inquiramusque, quid intellexerint CLIN. omnino. ATH. maxima, inquiunt, atque pulcherrima naturâ fortunâque fieri; arte vero minora: eamque dicunt accepta a natura magnorum primorumque operum generatione, fingere, fabricareque minora omnia, quæ artificioſa ab omnibus appellantur. CLIN. quomodo id ais? ATH. Sic planius dicam. Ignem aquam, terram, aerem, omnia hæc non arte ſed naturâ & fortunâ eſſe dicunt. Corpora etiam quæ poſthæc ſunt: rerum terrenarum, ſolis, lunæ, ſtellarum omnium ex iſtis anima prorſus carentibus facta fuiſſe ajunt: fortunâque quo unum quodque vis ſua impulit lata, ſingula ſingulis, frigida calidis, ſicca humidis, mollia duris, & omnino contraria contrariis, duce fortuna conveniſſe, ac neceſſario contemperata fuiſſe. Hoc pacto cœlum & quæ in eo ſunt omnia, animalia quoque & plantas & anni tempora fuiſſe producta, non per intellectum, neque per Deum aliquem: ſed naturâ, uti diximus & fortunâ. Hanc autem opinionem rejicit Plato & contendit omnia potius arte facta eſſe, & quidem duplici argumento. Primum petit a natura corpo-

rum eorumque disposition, alterum ab origine motus. Primum extat pag. 606. Αθ. λεγοιμ' ἂν ὡς ἐοικεν, ἡδη χρεδον ἐκ εἰωθοτα λογον τινα τονδε. Ὁ πρωτον γενεσεως και φθορας αἰτιον ἁπαντων, τετο ἐ πρωτον, ἀλλα ὑςερον ἐπεφηναντο εἰναι γεγονος, οἱ την των ἀσεβων ψυχην ἀπεργασαμενοι λογοι. Ὁ δε ὑςερον, προτερον, ὀθεν ἡμαρτηκασι περι θεων της ὀντως ἐσιας. KL. ἐπω μανθανω. ΑΘ. ψυχην ὠ ἑταιρε ἠγνοηκεναι κινδυνευσι μεν ὀλιγον ξυμπαντες οἱον τε ὀν τυγχανει και δυναμιν ἐχει, των τε ἀλλων ἀυτης περι, και δη και γενεσεως ὡς ἐν πρωτοις ἐςι σωματων ἐμπροσθεν παντων γενομενη και μεταβολης τε ἀυτων και μετακοσμησεως ἁπασης, ἀρχει παντος μαλλον. ἐι δε ἐςι ταυτα ἑτως. ἀρα ἐκ δεξαναγκης τα ψυχης συγγενη πρωτερα ἂν ειη γεγονοτα τῶν σωματι προσηκοντων ἐσης ταυτης πρεσβυτερας ἡ σωματος ΛΚ. ἀναγκη. ΑΘ. δοξα δη, χρη ἐπιμελεια και νες και τεχνη, και νομος, σκληρων και μαλακων και βαρεων και κϖφων, πρωτερα ἂν ειη. και δη και τα μεγαλα και πρωτα ἐργα και πραξεις, τεχνης ἐν γιγνοιτο ὀντα ἐν πρωτοις. τα δε φυσει και φυσις, ἡν ἐκ ὀρθως ἐπονομαζεσιν ἀυτο τετο ὑςερα χρη ἀρχομενα ἂν ἐκ τεχνης ειη και νε ΚΛ. πως. ΑΘ. ἐκ ὀρθως Φυσιν βελονται λεγειν γενεσιν περι τα πρωτα. ἐι δε φανησεται ψυχη πρωτον,

πρωῖον, ἀ πυρ ἀδε ἀηρ. ψυχη δ' ἐν πρωτοις γεγενημενη χεδον ὀρθοτατα λεγοιτ' ἀν εἰναι διαφεροντως, ὁτι φυσει ταυτ' ἐοθ' ἁτως ἐχοντα ἀν ψυχην ἰις ἐπιδειξη πρεσβυτεραν ἁσαν σωματος, ἀλλως δε ἀδαμως ΚΛ. Ἀληθεσατα λεγεις. Hæc ita vertit Ficinus: dicam jam novam hanc pene inauditamque rationem. Quod generationis corruptionisque omnium prima cauſa eſt, non primum ſed poſterius factum ſermones illi affirmarunt, qui animos impios effecerunt. Quod vero poſterius, id prius. Quare veram Deorum ſubſtantiam ignorarunt. CLIN. nondum intelligo ATH. qualis anima ſit & qualem habeat vim, omnes ferme ignoraſſe videntur, tum quoad alia, tum quoad ejus generationem, quod ante omnia corpora nata ſit, & transmutationis decorisque corporum ipſa ſit omnium maxime princeps. Si hæc ita ſint, nonne quæ animæ ipſius propria ſunt, neceſſario priora his erunt, quæ ad corpus pertinent, cum ipſa corpore ſit antiquior. CLEN. neceſſe eſt. ATH. Ergo opinio, cura, intellectus & ars, & lex duris & mollibus, gravibus atque levibus priora ſunt. Quare ingentia & prima opera, operationesque ipſæ artis imprimis erunt: quæ vero natura ſunt & natu-

ra ipſa, quam non recte ſic appellant, poſterius ſunt, & artem intellectumque ſequuntur CLIN. Cur non recte. ATH. quia naturam generationem circa prima dicere volunt, primaque ponunt corpora. Si autem non ignis nec aër, ſed anima primo eſſe videbitur, anima ipſa corpore antiquior rectiſſime affirmabitur, & hæc ipſa ita natura conſtare, ſi animam corporibus antiquiorem eſſe conſtiterit: aliter vero nequaquam CLIN. Vera loqueris. *Alterum argumentum petit ab origine motus.* Brevitatis cauſa latina tantum dabo. Quando aliud ab alio movetur: idque rurſus ſemper ab alio, eritne in talibus aliquid quod primo moveatur? at quomodo id quod ab alio moveatur, eorum quæ moventur primum erit? certe impoſſibile id eſt. Sed quando aliquid ſe ipſum movens, aliud quoque movebit, illudque aliud & ſic deinceps plurima movebuntur; an aliud totius motus principium erit, quam mutatio ejus quod ſe ipſum movit? CLIN. egregie dictum id & concedendum eſt. ATH. præterea nos ipſos interrogemus & ipſi nobis reſpondeamus. Si quovis modo univerſa ſimul ſteterint, ut plurimi talium audent dicere, quem motum potiſſi-

tissimum in ipsis fieri asseremus? eum profecto quo quid seipsum movet: Motus enim dependens ab alio non prius incidet, quam alia quædam ipsis inciderit mutatio. Quapropter initium omnium motionum primumque motum, qui & instantibus factus sit & in his quæ modo moventur insit illum fateri necesse est, quo quid se ipsum movet: & hanc esse antiquissimam omnium potentissimamque mutationem: secundam vero illam, qua quid ab alio mutatur & alia movet. Et paucis interjectis ita concludit. CL. a se ipso moveri asseris rationem esse illius substantiæ, quam nomine omnes animam appellamus. ATH. assero equidem. Quod si ita est an adhuc desideramus sufficientius demonstrari, idem esse animam & primam generationem ac motum rerum quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ futuræ sint: omniumque rursus istis contrariorum? quandoquidem transmutationis motusque omnis omnibus causa esse apparuit. CL. minime. nam sufficientissime monstratum est, animam omnibus antiquiorem esse, cum motus principium sit.

IV. Possent hæc mea opinione sufficere ad demonstrandum, Platonem Rectorem sapi-

ſapientiſſimum Univerſi agnoviſſe. Sed intercedit hic P. Baylius & duo objicit, quæ prius examinanda ſunt. Continuat. des penſeés diverſes cap. 25. in eo eſt, ut argumentum illud ab univerſali gentium conſenſu deſumtum infringat & inter alia monet, eadem ratione Polytheismum potius quam unius ejusdemque æterni Numinis exiſtentiam probari; eum in finem profert teſtimonia Ciceronis, Senecæ, Maximi Tyrii & Platonis. *Il eſt clair* (ait occaſione teſtimonii M. Tyrii) *qu'il conſidere la nature divine comme une eſpece, qui a ſous ſoi un grand nombre d'individus, & qu'il pretend que c'eſt l'opinion de tous les peuples.* & paucis interjectis. *Savez vous bien coment Platon a combatu les Athées? Ce n'eſt pas en leur prouvant qu'il n'y a qu'un Dieu, c'eſt en leur prouvant, qu'il y a des Dieux:* citat deinde Lib. X. de legibus, ex quo argumentatus ſum. De argumenti hujus valore diſputare nolo, hoc tantum dico & M. Tyrium & Platonem dicis cauſa Deos in ſcenam produxiſſe, quod ex methodo, quâ probant Deos eſſe, ſatis patet. Maximus ait ἐν Ἰσσῷ δὴ πολεμῳ καὶ ϛάσει καὶ διαφονια ἑνα ἰδοις ἂν ἐν πασῃ γῃ ὁμφωνον νομον καὶ λογον, ὁτι NB Θεος εἰς παντων βασιλευς

λευς και πατηρ και Θεος πολλος, Θεαι παιδες, συναρχοντες Θεω? & paulo poſt. In eo Græcus cum Barbaro, mediterraneus cum Inſulano, ſapiens conſentit cum ſtulto. Ut ſi ad extrema Oceani littora proceſſeris, hîc quoque Deos inventurus ſis, ἅμα μεν ἀνιχοντες ἀγχι μαλα, ἅμα δε καλαδυομενοι, qui non procul ab aliis oriuntur, ab aliis occidunt. Vides hic ſane Θεον τον παντων βασιλεα clariſſime diſtingui, a Diis qui occidunt & oriuntur. Θεοι enim illi ſunt ſol, luna, ſtellæ. Hinc in fine primæ hujus diſſertationis ait. In alto magnus Rex ille ſedeat, populisque ſuis volentibus leges, quibus ſarti tecti maneant, præſcribat. Regni autem conſortes ſint Dii multi, quorum alii videntur, alii oculis conſpici non poſſunt. Vides denuo Magnum illum Regem clariſſime a cætera Deorum turba diſtingui. Quinam autem illi Θεοι ὁρατοι aut ἀφανεις num forte, quod Baylius vult, individua ejusdem ſpeciei? reſpondebo verbis Eruditiſſimi Daviſii. Ὁρατοι inquit, Θεοι ſunt ἀστερων φυσεις. Deos cœlites, inquit, Apulejus de Deo Socrat. p. 41. partim viſu uſurpamus, alios intellectu veſtigamus. Ac viſu quidem cernimus

— *Vos*

— *Vos o clariſſima mundi*

Lumina &c. In eodem viſibilium Deorum numero, cætera quoque Sydera, qui cum Platone ſentis locato. Stellæ etiam Alcinoo cap. 14. ſunt νοερα ζωα και Θεοι. Philoni Judæo de Opif. mundi pag. 4. Θεαι αἰσθητοι. Eas nempe cenſebant anima & quidem excellentiſſima præditas, unde Plato in Epinom. ait: Θειον γενος ἀερων σωμασιος μεν πυχον καλλιστα, ψυχης δε εὐδαιμονεστατης. In hac ſententia fuit Origenes v. P. D. Huetii Origen. Lib. 2. Quæſt. 8. In ἀφανων vero Θεων numero erant illi duodecim ſitu nominum in duos verſus ab Ennio coarctati, Juno, Veſta, Minerva, Ceres &c. aliique Apulejus de Deo Socrat. p. 42. hactenus Daviſius. Patet autem hoc vel maxime ex toto diſputationis Maximi Scopo; non ſolum probare vult Deum eſſe, ſed & eundem ab omni re, quæ in ſenſus incurrit, longiſſime ſecretum eſſe, imo ne mente quidem ſatis capi poſſe, hinc diſſertatione 38. Deum vocavit ἀνωνυμον νομοθετην ob Majeſtatem & excellentiam divinæ naturæ. At vaſtiſſima illa corpora in cœlo fluitantia non a Philoſophis tantum ſed & quolibet plebeio videri poſſunt.

Idem

Idem fere reſponderi poteſt de Platone, ille enim non ſolum ſolerter, quod infra probabimus γεννητὰς Θεὰς a ſupremo univerſi Rectore diſtinguit, ſed in citatis locis argumentatur, ab ordine univerſi, naturâ rerum corporearum, origine motus, quæ pluralitatem ſane cauſarum æqualium minime inferunt. Alterum, quod Baylius objicit, extat eodem libro pag. 351. *On vous citera*, inquit, *d'excellens paſſages ou Platon a parlé de Dieu tres ſenſement, mais cherches les livres ou il a parle en Phyſicien, & non pas en Moraliſte ou en Politique. Vous trouveres un Galimatias, & des Impietes epouvantables dans ſa Theologie philoſophique, ſi vous la pouves anatomiſer & vous n'y trouveres l'unité réelle d'aucune choſe.* Fateor lubens multa eſſe in Philoſophia Platonis præcipue ubi de rebus divinis agit, in ſpeciem ſublimia, revera tamen aut trita, aut prorſus nihil ſignificantia, multa adverſa fronte inter ſe pugnantia, ſed exiſtentiam tamen & Unitatem Supremi Numinis inde probari haud poſſe, hoc eſt quod nego. Verum præterea eſt, Platonem in libris de legibus phyſica haud tractare dogmata, ſed argumentatur tamen in hoc ipſo X. legum libro de exiſtentia Dei, uti ſolent, omnes illi

illi, qui capitalem hanc veritatem demonſtrare nituntur, licet non eam ratiocinationis methodum ſequatur, qua uſi ſunt moderni Philoſophi Clarkius, Wolfius aliique Philoſophi artis recte ratiocinandi peritiſſimi. Sed ne forte illi, qui omnia Summi Viri Baylii decreta pro Oraculis habent, exiſtiment, me examen refugere, provoco ad Platonis Timæum, quem reſpexiſſe præcipue Baylium exiſtumo. Brevitatis autem cauſa pleraque ex verſione latina Ficini adducam. pag. 708. incipit Plato loqui de omnium rerum Origine. Deos, inquit, Deasque precamur, in primis quidem ut ea dicantur à nobis, quæ illis placeant: deinde ut nobis ipſi conſtemus. Quantum ad Deos attinet ſic a nobis oratum ſit. Sed quod ad nos ſpectat, poſcendum eſt, ut & vos facile adſequamini, & ego ſecundum mentis propoſitum rem ipſam quâ de agitur tranſigam. Principio ita mihi diſtinguendum eſſe videtur, quid ſit quod ſemper eſt carens generatione: quid vero quod gignitur quidem nec eſt unquam. Illud intellectu per rationis indaginem percipi poteſt, cum ſemper ſit idem. Hoc opinione per irrationalem ſenſum attingi, cum gignatur, & intereat neque verè

verè unquam sit. Quicquid autem gignitur, ex aliqua causa necessario gignitur. Sine causa vero quicquam oriri impossibile est. Quando igitur Opifex in operis alicujus constructione, ad id quod eodem modo se semper habet aspicit, & hujusmodi quodam usus exemplo ideam vimque in opus educit, pulchrum fieri, tunc opus omne necessarium est, quando vero ad id quod factum est respicit, minime pulchrum. Universum igitur hoc, Cœlum sive mundum, sive quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primum considerabamus, quod in quæstione de universo ante omnia investigari debet: Utrumne semper fuerit sine ullo generationis principio; an genitum sit ab aliquo principio sumens exordium. Id profecto cernitur tangiturque & corpus habet. Omnia vero hujusmodi sensus movent. Quæ sensus movent opinione per sensum percipiuntur. Hæc vero talia esse constat; ut gignantur & genita sint. Quicquid autem gignitur, ab aliquâ causâ necessario gigni asseruimus. Opificem quidem & Patrem mundi invenire difficile, & cum jam inueneris prædicare eloqui vulgo impossibile est. Rursus considerandum

eſt, utrum Mundi Faber ſit imitatus Exemplar; id quod idem ſemper & ſimile eſt, an id quod genitum fuerit. Atqui ſi pulcher eſt hic mundus & Opifex mundi bonus, ſempiternum certe Exemplar voluit imitari. Sin ſecus, quod ne dictu quidem fas eſt, generatum Exemplar pro æterno eſt ſecutus. Cum vero & mundus omnium genitorum pulcherrimus ſit, & ejus Autor cauſarum omnium optimus, dubium non eſt, quin ſempiternum ſecutus ſit Exemplum. Sic igitur generatus, ad id eſt effectus, quod ratione ſolâ comprehendi poteſt, & immutabile permanet. Ex quo efficitur, ut neceſſe ſit hunc mundum alicujus ſimulacrum eſſe. Paucis interjectis aperit, quæ cauſa Deum tantum opus moliendi moverit. Dicamus igitur quam ob cauſam ille rerum Autor generationem & hoc Univerſum conſtituit, Ἀγαθος ἦν. ἀγαθῳ δε ἐδεις περι ἐδενος ἐδε ποτε ἐγγιγνεσθαι φθονος. Τουτ δ' ἐκτος ὢν, παντα ὁτι μαλιστα ἐβουληθη γενεσθαι παραπλησια ἑαυτῳ. Ταυτην δε γενεσεως κοσμον μαλιστ' ἂν τις ἀρχην κυριωτατην παρ' ἀνδρων φρονιμων ἀποδεχομενος, ὀρθοτατα ἀποδεχοιτ' ἂν. βουληθεις γαρ ὁ Θεος ἀγαθα μεν παντα, φλαυρον δε μηδεν εἰναι κατα δυναμιν, οὑτω δη παν ὁσον ἦν ὁρατον παραλαβων, ἐκ ἠσυ-

χιαν

χιαν ἀγον, ἀλλα κινȣμενον πλημμελως ϗ ἀτακτως, εἰς ταξιν αὐτο ἠγαγεν ἐκ της ἀταξιας ἡγησαμενος ἐκεινο τȣτȣ παντως ἀμεινον. Θεμις δε ȣ̓τ' ἠν, ȣ̓τ' ἐςι τω ἀριςω δραν ἀλλο πλην το καλλιςον. *pag.* 711. *Deum solum æternum cætera fluxa & mutabilia esse ait.* Dies porro & noctes & menses & annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo, nasci jussit, quæ omnia temporis partes sunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ adsignamus. Dicimus enim de illa, est, erat & erit. Sed illi revera solum esse competit. Fuisse vero & fore deinceps ad generationem tempore procedentem referre debemus. Motus enim quidam illa duo sunt. Æterna autem substantia cum eadem semper & immobilis perseveret, neque senior se ipsa fit unquam, neque junior, neque fuit hactenus, neque erit in posterum, neque recipit eorum quicquam, quibus res corporeæ mobilesque ex ipsa generationis conditione subjiciuntur. p. 712. *Solem, stellas &c. ad certum finem esse productas* pag. 713. & sq. *Concedit quidem Deum quosdam ministros habuisse in exornando Universo, sed Eum tamen in Omnes Imperium habere.* Hinc Deorum Patrem ita

inducit loquentem pag. 481. Θεοι Θεων, ὡν ἐγω Δημιȣργος, πατηρ τε ἐργων, ἁ δι ἐμȣ γενομενα, ἀλυθα ἐμȣ γε Θελοντος. Το μεν ȣ̓ν δι δεθεν παν λυθον. Τογε μεν καλως ἁρμοσθεν και ἐχων ἐυ, λυειν ἐθελειν κακȣ, δι ἁ και ἐπειπερ γεγενησθε ἀθαναθοι μεν ȣ̓κ ἐςε. ȣ̓δ' ἀλυτοι τοπαμπαν, ȣ̓τι μεν δη λυθησεςε γε, ȣ̓δε τευξεσθαι θανατȣ μοιρας. Της ἐμης βȣλησεως μειζονος ἐτι δεσμȣ κȣι κυριωτερȣ λαχοντες ἐκεινων, ὁις ὁτ ἐγιγνεσθε συνεδειςε. i. e. Dii Deorum, quorum ego Opifex & Pater ſum, hæc attendite. Quæ a me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt. Sed mali eſt, quod pulcre compoſitum eſt, ſeque habet bene velle diſſolvere. Quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & inſolubiles non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea majus præſtantiusque vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis, tunc cum gignebamini, colligati. Pag. 715. ſq. ex oculis, corde, pulmonibus &c. infinitam Dei ſapientiam demonſtrat, quæ brevitatis cauſa non tranſcribam. Ea tantum noto, quæ pag. 726. præclare aſſerit. Quemadmodum

modum ait ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, ſingulis Deus & ad ſe ſe, & ad alia invicem eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus ſuſcipere ſingula poterant. Tunc profecto nil erat ordinis, niſi forte caſu aliquo particeps: nec quicquam tunc aqua, ignis vel aliud quicquam eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat. Verum hæc primum omnia exornavit, deinde ex iis hoc Univerſum conſtituit animal unum animalia omnia in ſe mortalia & immortalia continens. Hæc niſi fallor quam maxime probant Platonem Ens æternum ſapientiſſimum Optimum agnoviſſe.

V. *Probabimus ergo 2. loco Platonem, Deum cum materiâ nec confudiſſe, nec unam ſubſtantiam tantum dari in Univerſo, ſtatuiſſe.* Patet hoc ex locis in quibus Deus ab omni materiâ longiſſime ſecretus eſſe dicitur, præter locum Platonis & Plutarchi aliis jam teſtimoniis hoc adſtruemus. Max. Tyr. diſſertat. 1. explicaturus quid ſit ex mente Platonis Deus, incipit a naturâ rerum ſenſibilium & deinde concludit Deum nihil ejusmodi eſſe, quod omnia corpora imperfecta, perpetuæ mutationi obnoxia

ſint λειπεται δη ὡσπερ εἰς ἀκροπολιν ἀναβιβασαμενους το λογω τον Θεον, ἱδρυσαι κατα τον νουν αὐτον ἀρχηγικωτατον. Reliquum eſt ergo, ut tanquam in arce aliquâ ſublimi, in principe intellectu Deum ſtatuamus. Alcinous cap. 9. totus in eo eſt, uti demonſtret, Deum non poſſe eſſe corpus. Cum (ait ex verſione Ficini) partes nullas habeat Deus, neque ſecundum locum, neque ſecundum alterationem movebitur. Etenim ſi mutationem patitur, vel a ſe ipſo, vel ab alio quodam permutari neceſſe eſt. Si ab alio, illud utique validius erit. Sin a ſe ipſo, aut in deterius, aut in melius transmigrabit; verum utraque impoſſibilia ſunt. Quibus omnibus perſpicuum eſt, ipſum incorporalem eſſe. Veruntamen ex iis quæ adjicientur, idem quoque patebit. Si corpus Deus eſſet, ex materia ſpecieque conſtaret, ex eo quod omne corpus compoſitum quoddam eſt ex materia ſimul & ſpecie, quod quidem idearum ſimile redditur, dum illis ineffabili quadam ratione participat. Abſurdum autem eſt, Deum ex materia ſpecieque conſtitui, Neque enim ſimplex, neque principium eſſet; quamobrem incorporeus Deus eſt. Præterea ſi corpus eſt, ex materia conſtat.

Ideoque

Ideoque vel ignis eſt, vel aer, vel terra, vel aqua, aut aliquid ex iis conflatum. At quomodocunque ſe habeat, principium minime erit, erit materiâ ipſa poſterior, ſi quidem ex materia conficiatur, quæ quoniam nefaria ſunt, incorporeum Deum eſſe neceſſe eſt. Etenim ſi corpus eſt, corrumpi poteſt, genitusque eſt, & transmutationi ſubjectus. Atqui horum nihil in Deum cadit. Timæus Locrus, quem in hiſce ſecutus eſſe videtur Plato, de anima mundi p. 549. Ed. Gale. Θεον δε, τον μεν αἰωνιον νοος ὁρη μονος, ἰων ἁπαντων ἀρχαγον και γενεθλαρχα ἰδεων. Deum porro ſola mens videt in his omnibus ſane rebus, principem autoremque & Parentem horum omnium. *At non ſolum Deum præſtantiſſimam mentem eſſe adſtruxit Plato, ſed & a materia diſtinxit, quam æternam ſimul eſſe putavit, atque adeo non unam tantum dari ſubſtantiam credidit.* Probat hoc frequentiſſima Platonis & ſequacium diſtinctio inter ἰα νοητα, ὀντως ὀντα, ἀδιαλυτα, Θεια, & inter ἰα γιγνομενα, μη ὀντα, αἰσθητα ἰα. Priora ſolis divinis competere Plato ipſe in Politico p. 174. aſſerit ἰο κατα ταὐτα και ὡσαυτως ἐχειν ἀει και ἰαυτον εἰναι ἰοις παντων Θειοτατοις προσηκει μονοις. σωματος δε φυσις ἐ ἰαυτης ἰης

ταξεως. Idem ſemper eſſe & ſecundum eadem, & eodem modo ſe habere, ſolis omnium diviniſſimis convenit: corporis autem natura, hujus ordinis non eſt compos. Laertius ex mente Platonis Lib. 3. ἀιδιον το μηδεποτε ἐν τω ποιω μηδε ποσω διαμενον, ἀλλα ἀει ῥεον και μεταβαλλον. Νοητον δε ἐξ ὁ μηδεν ἀπογινεσθαι μηδε προσγινεσθαι 2. Inter principia Platonis omnium rerum referunt veteres Θεον, ὑλην, ἰδεαν, nec enim Laertium curo, qui duo tantum ſtatuit, Θεον και ὑλην. Deum autem & materiam non ſolum clariſſime diſtinxit Plato, ſed & eandem æternam eſſe perhibuit. Auctor Philoſophumen. pag. 111. Την μεν ὐν ὑλην ἀρχην εἰναι και συγχρονον τω Θεω. Plutarchus, περι της ἐν Θιμαιω Κοσμογενιας pag. 1014. ait Την δε ὐσιαν και ὑλην, ἐξ ὡν γεγονεν (ſc. mundus) ὁ γενομενην, ἀλλ ὑποκειμενην ἀει τω Δημιυργω εἰς διαθεσιν και ταξιν ἀυτης, και προς ἀυτην ἐξομοιωσιν (ὡς δυνατον ἠν παραχειν) ὁ γαρ ἐκ τυ μη ὀντος ἡ γενεσις, ἀλλ' ἐκ τυ μη καλως μηδ' ικανως ἐχοντος. Subſtantiam autem & materiam, ex qua factus eſt mundus, non natam ſed ſemper ſubjectam Opifici diſponendam ſe & ordinandam, adque ipſius ſimilitudinem, quantum ejus fieri po-

ri poteſt, effingendam præbuiſſe. Non enim ex eo, quod nihil eſſet, extitit mundus, ſed ex eo, quod non pulchre, non recte aut perfecté eſſet. Scio Platonicos juniores, Plotinum, Porphyrium, Jamblichum, Hieroclem, & inter recentiores Cl. Cudwortum adſerere mundum ex mente Platonis a Deo creatum fuiſſe; ſed evidentiſſima loca jam in contrarium adtulere doctiſſimi Viri J. Thomaſius & Ch. Wolfius. Sufficiat nobis oſtendiſſe Platonem Deum ab omni materia ſecreviſſe, atque adeo non unam tantum ſubſtantiam dari, aſſeruiſſe.

VI. Haud difficulter credo hæc mihi concedent illi, qui Philoſophiæ Platonicæ periti ſunt; ſed hoc quam maxime in dubium vocabunt, utrum nempe Deum Plato nullo neceſſario vinculo cum materia conjunxerit; *Probandam igitur* 3. *eſt Deum ex mente Platonis nullo neceſſario vinculo conjunctum eſſe cum materia.* Ut autem hoc demonſtrem probabo (*a*) *Deum ex mente Platonis liberum eſſe* (*b*) *eum fines in exornatione Univerſi intendiſſe*, (*c*) *Deum neceſſitati imperare* (*d*) *mentem noſtram liberrimam eſſe, pœnæ ac præmiorum capacem.* (*e*) *Deſtructionem mundi a liberrima Dei*

voluntate ſuſpendi. Unde neceſſario ſequetur, Deum cum materiâ nullo neceſſario & immutabili vinculo conjunctum eſſe. Antequam autem per partes hæc probem in anteceſſum hoc monendum eſt. Platonem nimirum conceſſiſſe, materiam eſſe æternam, & in eo cum plerisque veterum erraſſe; maximæ enim, poſita materiæ æternitate, oriuntur difficultates circa operationem & Imperium Dei in materiam, præcipue ſi omnia, quæ inde ſequuntur, urgentur. Haud tamen exiſtimaverim, quenquam propterea inter atheos referendum. Qui enim Deum a materia ſolerter diſtinguit, mundi productionem ſoli Deo tribuit, Deo ſummam ſapientiam cæterasque virtutes Numine dignas, quibus omnis Dei cultus, legumque reverentia nititur, adſcribit, præterea mentem noſtram liberrimam eſſe pronuntiat, mea opinione ab Atheiſmo liber eſt. Imprimis ſi cogitemus, quam difficulter ratione ſola probetur, Deum omnia ex nihilo creaſſe. At hæc omnia agnovit Plato. Probabo igitur (*a*) *Deum ex mente Platonis liberrimum eſſe. Patet autem hoc ex ſtatu materiæ antequam Deus eam exornaret.* Nimirum materia, uti ex locis ſupra adductis patet,

patet, erat ἀμορφον ἦι και ἀσυχατον, potuiſſetque adeo per omnem æternitatem in hoc ſtatu manere, nulla rerum & creaturarum fuiſſet diſtinctio; potuiſſet etiam Deus ex mente Platonis per omnem æternitatem materiam illam a ſe diſtinctiſſimam contemplari. Cum autem variæ creaturarum ſpecies ortæ ſint, quæ a materiæ naturâ repeti non poſſint ex mente Platonis, recurrendum eſt ad liberrimam voluntatem ſummi Rerum Moderatoris. Nec ullam ego hic umbram neceſſitatis video. Tolle materiæ æternitatem, & exigua, vel nulla erit inter Chriſtianorum Platonisque ſententias opinionum diverſitas, hac ſaltem in parte. Secundum nos ſapientiſſimus & optimus Deus voluit extra ſe producere vel creare Univerſum, ad id nullâ vel intrinſecâ vel extrinſecâ neceſſitate compulſus fuit. Obverſabantur Deo omnium rerum poſſibilium ideæ, quarundam denique, quarum complexum mundum vocamus, exiſtentiam voluit convenienter illis ideis, quas ſemel ſibi præformavit. Deus juxta Platonem diſcretus fuit a materia. Materiam vidit eſſe rudem indigeſtamque molem. Voluit Deus pulcherrimam efficere. Illam ergo ſponte & bonitate naturæ motus, in ordinem

nem redigit, quod fuſe Plato in Timæo recenſet. Inde tandem Eodem volente oritur hic mundus, hæc pulcherrima rerum ſeries. Quis autem in hoc ſyſtemate neceſſitatem videt? Sed ais, neceſſitas oritur propter æternitatem materiæ, Deus enim eam κατα δυναμιν, quoad illa pateretur, pulchram & perfectam effecit. Ita eſt. Sed antequam Deus manus operi admoveret, liber tamen erat, potuit materiam in ſtatu illo confuſo linquere, materia Deum ad agendum cogere non potuit, quod hactenus ſufficit. Perpende noſtrum ſyſtema. Deus liber fuit, utrum mundum condere voluerit nec ne; libere mundum produxit. Poſtquam ſemel perfectiſſima voluntas ſtatuit mundum hunc producere, non potuit non convenienter ideis, quas de eo ſibi præformavit, agere, licet præviderit imperfectionem quandam reſpectu noſtri locum habituram. Nullus quidem dubito, quin Deus creare potuiſſet mundum, in quo nulla plane imperfectio locum habitura fuiſſet; poteſt enim omnia quæ contradictionem non involvunt. Ortus tamen eſt mundus Deo volente, in quo imperfectio aliqua locum habet. Quod ſi quæras, unde imperfectio orta? Plato ad materiæ

materiæ jam præexiſtentis pravitatem confugit, quæ impedivit eum, quo minus omnia perfectiſſima conderet. Nos dicimus omnia a Deo perfectiſſime creata, ſed partim variam materiæ concatenationem, partim prava mentium humanarum ſtudia in cauſa eſſe, quo minus Mundus hic, quem incolimus, omni imperfectione liber ſit. Dijudicandam tamen eſſe ejus pulchritudinem ex Harmonia Univerſi. Lubentes interim fatemur ſyſtema noſtrum longe præferendum eſſe ſyſtemati Platonis. Patet tamen ex hiſce, Deum ex mente Platonis cum materiâ neceſſario quodam nexu copulatum minime fuiſſe, quod hactenus nobis ſufficit.

VII. Tranſeamus ad alterum argumentum, quo probatur Deum nullo neceſſario vinculo cum materia junctum fuiſſe. *Hoc autem petimus ex eo, quod Plato clariſſime adſeruerit, Deum ad certos fines omnia condidiſſe.* Qui antequam agit, prudens omnium rerum nexus contemplatur & fines ſapientiſſimos intendit, ille agit liberrime: qui autem non poteſt non agere & ſequitur rerum vim, trahi potius, quam libere agere dicendus eſt. Probabimus ergo allatis teſtimoniis, Deum ex mente Plato-

Platonis in exornatione universi sapientissimos sibi præfixisse fines. Supra jam attulimus loca, in quibus Plato exertè negat, natura aut fortuna omnia facta esse; attuli loca, in quibus testatur oculum ad videndum &c. factum esse. Libro X. Legum pag. 610. postquam asseruisset, Deum etiam minima curare, sic pergit: Πειθωμεν τον νεανιαν τοις λογοις, ως τω τε παντος επιμελεμενω προς την σωτηριαν και αρετην τε Ολε, παντ' εςι συντεταγμενα. ων και το μερος εις δυναμιν εκαςε το προσηκον παςχει και ποιει. τετοις δ' εισιν αρχοντες προστεταγμενοι εκασοις επι το σμικροτατον αει παθης και πραξεως. Εις μερισμον τον εςχατον τελος απειργασμενος. ων εν και το σον ω σχετλιε μοριον, εις το παν ξυντεινει βλεπον αει και περ πανσμικρον ον. σε δε λεληθε περι αυτο ως γενεσις ενεκα εκεινε γιγνεται πασα. Οπως η τω τε παντος βιω υπαρχεσα ευδαιμων ασια εχ ενεκα σε γινομενη, συ δε ενεκα εκεινε. πας γαρ Ιατρος και πας ενλεχνος δημιεργος, παντος μεν ενεκα παντα εργαζεται προς τα κοινη ξυντεινον βελτιςον. Μερος μην ενεκα ολε και εχ ολον μερες ενεκα απεργαζεται. συ δε αγανακτεις, αγνοων, οτι το πεςλ σε αριςον τω παντι συμβαινει, και σοι κατα δυναμιν την της κοινης γενεσεως. i. e. ex versione

ſione Ficini. Huic adoleſcenti perſuadeamus, eum qui toti providet, ad virtutem ſalutemque totius omnia ordinare, cujus pars quæque pro viribus, quod ſibi convenit agit, & patitur: atque his ſingulis præpoſiti principes ſunt, qui minimarum etiam actionum paſſionumque per ſingulas & extremas Univerſi particulas diſtributione ad ultimum usque peractâ curam habent. Quarum una tua, O miſer, particula eſt, quæ & ad totum ſemper reſpicit, quamvis minima ſit. Tu vero ignoras, omnem ſingulorum generationem illius gratiâ fieri, ut univerſi ipſius beata vita ſit. Ejus ſubſtantia non tui gratiâ eſt, ſed illius tu gratiâ factus es. Medicus enim & artificioſus Opifex omnis, totius gratiâ ſingula facit, & ad communem perfectionem dirigit omnia: non totum ad partem ſed partes ad totum ſingulas referens. Tu autem moleſte fers, quia ignoras quô pacto, quod Tibi optimum eſt, univerſo, ſimul & tibi pro communis generationis viribus convenit. Sane elegantiſſimus ille locus clariſſime oſtendit, Deum ex mente Platonis non ſolum ſingulari ſapientia cuncta ordinaſſe, ſed & ad totius Univerſi Harmoniam recte perficiendam animum induxiſſe. Idem

patet

patet ex prolixo loco in Timæo p. 709. V. Ficini. Volens ait itaque Deus omnium, quæ intelligi poſſunt, pulcherrimo & undique abſoluto mundum hunc ſimillimum reddere animal unum ipſum effecit, aſpectui ſubjectum, animalia cuncta naturæ ſuæ convenientia intra ſuum limitem continens &c. lege ſequentia, quæ eodem ſpectant. Verum eſt, ſemper Platonem materiæ æternitatem ſupponere, ſed cum nexus rerum corporearum in Materia fundatus haud ſit, Deus autem omnium rerum concatenationem in mundo illo intelligibili non præviderit tantum, ſed & condere voluerit, exulat ſane ferrea neceſſitas. Hinc & factum, quod Platonici Juniores ad objectiones de origine mali ad Harmonicam illam, rerum diſpoſitionem confugerint. Jamblichus de Myſt. Æg. Sect. 1. cap. 18. Ed. Galei ita ait. *Γενοιτο δ' ἂν τι και το τοιουτον ἐν τη τε παντος ἁρμονια και ηρασει ὡς τα αὐτα τω μεν ὁλω και παντι σωτηρια εἰναι δια την τελειοτατα των τε ἐνοντων, και οἰς ἐνεςι, τοις δε μερεσι βλαβερα δια την μεριζην ἀσυμμετριαν, και ἐν τη τε παντος κινησει πασαι μεν αἱ περιφοραι κατα παντα κοσμον ὡσαυτως διαφυλαττουσιν, ἐν δε τη των ἐν μερει πολλακις θλιβεται ὑπ' ἀλλα μερεα, ὁπερ και ἐν ὀρχησει ὀρωμεν*

ὄρωμεν γιγνομενον &c. Quinimo in Universi harmonia & crasi evenire potest, ut eadem quæ sint salutaria toti Universo propter convenientiam & perfectionem receptorum & recipientium, partibus interim sint damnosa propter particulares ineptitudines. Omnes sane orbium circulationes (ut de universis loquar motibus) totum mundum similiter conservant; cum interim pars alia ab alia laudetur: quomodo sæpe in saltationibus fieri videmus, ubi totius chori decor servatur, cum digitus aut pes interim offendatur. M. Tyrius differt. XXV. in quæstione τε Θεε τα ἀγαθα ποιεντος, ποθεν τα κακα, malum morale τη της ψυχης ἐξεσια adscribit, physicum vero corruptæ materiæ adfectioni, quibus adlatis ita pergit pag. 259. Ed. Davisii: Τλην ὁρας ὑποβεβλημενην Δημιεργω ἀγαθω, ἡς τα μεν κοσμηθεν, ἡκει παρα της τεχνης. Ει δε τι, ἀκρατως ἑαυτων τα ἐν γη ἐχοντα, παρχει πλημμελες, αἰτιον μη την τεχνην ἡθει. Βελησις γαρ ἀδεμια τεχνιτε ἀτεχνος. ἀδε γαρ νομοθετε ἀδικος, ὁ δε Θειος νες ἀνθρωπινης τεχνης ἐυσοχωτερος. Καθαπερ ἀν ἐν ταις των τεχνων χειρεγιαις τα μεν ἡ τεχνη προηγεμενως δρα σοχαζομενη τε τελες, τα δε ἑπεται τη χειρεγια, ἀ τεχνης ἐργα, ἀλλ' ὑλης παθη, σπινθηρες τε ἐξ ἀκμονος, και

καὶ ἐκ βαυνε ἀϊθαλωσεις, καὶ ἄλλο ἐξ ἀλλης παθος, ἀναγκαιον μεν τη ἐργασια, ἐ προηγεμενον δε τω τεχνιτη. ἔτως ἀμελει καὶ ὁσα περι γην παθη γινεται, ἃς καλεμεν κακων ἀνθρωπινων ἐμβολας ἐνλαυθα ἡγητεον ἀναιτιον καὶ τον τεχνιτην, εἶναι δε ταυτα της τε Ὁλε δημιεργιας ὡσπερ τινας ἑπομενας ἢ ἀναγκαιας φυσεις. ἃ δε ἡμεις καλεμεν κακα ἢ φθορας ἢ ἐφ' ὁις ὀδυρομεθα, NB. ταυτα Ο τεχνιτης καλει σωτηριαν τε Ολε. Ita elegantèr Maximus. Scio Viros quosdam Eruditos exiſtimare, Maximum hic a ſententia Platonis deviaſſe, ſed, qui allatum Platonis locum rite perpenderit, cumque iis quæ illic ſequuntur contulerit, perſpiciet, eidem ſententiæ addictum fuiſſe Platonem. Et hæc etiam eſt ſententia Præcellentiſſimorum Ævi noſtri Philoſophorum Leibnizii & Wolffii. In eo tamen diſſenſus, quod Leibnizius imperfectionis illius veſtigia non in materia, ſed ipſis æternis rerum poſſibilium ideis quærat, de quo jam non agimus. Sufficit Deum ex mente Platonis ad ſapientiſſimos fines cuncta formaſſe, & ad totius Univerſitatis rerum Harmoniam reſpexiſſe, unde evidenter infertur, Deum inſolubili materiæ vinculo alligatum non eſſe.

VIII.

VIII. (*c*) Tertium argumentum, quo probatur Deum ex mente Platonis materiæ vinculis conſtrictum non fuiſſe, *deſumimus ex eo, quod Plato adſerat, Deum materiæ, & quæ inde oritur, neceſſitati imperare.* Si Deus vim & potentiam ſuam in materiam exerit, ab ea tamen ad hoc vel illud agendum non cogitur, ſequitur eum nulla ratione cum materia conjunctum eſſe. Probabimus illud denuo verbis Platonis. Sed videamus primo, quid Plato neceſſitatis & Fati nomine intellexerit. Plutarchus de placit. Phil. Lib. 1. cap. 26. περι ἀνάγκης. de Platone. Πλατων τα μεν εἰς προνοιαν ἀγει, τα δε εἰς ἀναγκην. ibid. Πλατων ὁτε μεν την ὑλην, ὁτε δε την τε ποιουντος προς την ὑλην χεσιν. cap. 27. περι. Εἱμαρμενης Πλατων ἐγκρινει μεν την Εἱμαρμενην ἐπι των ἀνθρωπινων ψυχων και βιων, συνεισαγει δε και την παρ' ἡμας αἰτιαν cap. 28. περι ἀνάγκης Εἱμαρμενης. Πλατων λογον ἀϊδιον και νομον ἀϊδιον της τε παντος Φυσεως. Ex hisce locis patet 1. Platonem quædam tribuere mentis libertati, 2. neceſſitatem vocare, materiam ipſam in ſe ſpectatam & voluntatem ſive operationem Dei materiam certis limitibus circumſcribentis.

Cum Plutarcho consentiunt Apulejus & Alcinous : prior de dogmat. Plat. p. 374. Ed. Lugd. B. Plato non omnia ad Fati sortem arbitratur esse ferenda. Ita enim definit. Providentiam divinam esse sententiam, conservatricem prosperitatis ejus, cujus causa tale susceptit officium : divinam legem esse Fatum, per quod inevitabiles cogitationes Dei atque incepta complentur. Unde si quid Providentia, geritur, id agitur etiam fato, & quod fato terminatur, Providentia debet susceptum videri. Et quibusdam interjectis. Nec sane omnia referenda esse putat ad vim Fati : sed esse aliquid in nobis & in fortuna esse nonnihil, & fortunæ quidem improvidos casus ignorari a nobis fatetur. Instabile enim quiddam, & incurrens intercedere solere, quæ consilio fuerint, & meditatione susceptа, quod non patiatur mediata ad finem venire. Clarius adhuc Alcinous cap. 26. Εἱμαρμενη — λεγει, ὁτι ἐι τις ἀν ἑληται ψυχη τοιετον βιον, και τα δε τινα πραξει, τα δε ἳινα, αὐτη ἐψεται. Ἀδεσποτον ἀν ἡ ψυχη, και ἐπ' αὐτη μεν το πραξαι ἡ μη ταυτα. Και ἀ κατηναγκασαι τετο. Το δε ἑπομενον τη πραξει, καἳ' ἑιμαρμενην συντελεσθησεται. Οιον τω Παρις ἁρπασει την Ελενην, ἐπ' αὐτω ὀντι, ἀκολεθησει το πολε-

πολεμησεσι Τρωεσσι περι της Ἑλενης οἱ Ἕλληνες. Fatum dicit, quod ſi quæ anima vitam ejusmodi delegerit, atque talia fecerit, hæc illam conſequentur. Libera ergo anima eſt, atque in ejus poteſtate eſt ſitum, illa agere vel non agere: nec ad ea ulla neceſſitate cogitur. Quod autem in illo ordine ſequitur, id fato perficietur. Veluti ex eo, quod Paris Helenam rapiet, (quod quidem illi erat liberum) conſequens erit ut Græci pro Helena adverſus Trojanos bellum gerant. Sed adferenda ſunt loca ex ipſo Platone, quibus hoc ipſum manifeſtum fiat. Poſtquam in Timæo pag. 716. dixiſſet: Oportet autem mentis & ſcientiæ Amatorem principales ſapientis naturæ cauſas quærere: atque alias, quæ neceſſario ab aliis quidem moventur, alia vero movent ſecundas cauſas arbitrari. Poſt hæc, cur aures & oculi a Deo dati ſint, explicat, & hæc p. 484. addit. Τα μέν ἐν παρεληλυθοτα των ἐιρημενων, πλην βραχεων ἐπιδεδεικ]αι τα δια νεν δεδημιυργημενα. δει δε και τα δι' ἀναγκης γιγνομενα τω λογω παραθεωθαι. Μεμιγμενη γαρ ἐν ἡ τε δε τε κοσμε γενεσις, δ' ἐξ ἀναγκης τε και νε συςασεως, ἐγενηθη. Νε δε ἀναγκης ἀρχοντος τω πειθειν ἀυτην, των γιγνομενων τα πλειςα ἐπι το βελτιςον ἀγειν, ταυτη κατα

κατα ταυτα δι ἀναγκης ἡρτωμενοις ὑπο πειθους ἐμφρονος, ἑτω κατ' ἀρχας ξυνιστατο τοδε το Παν. Hisce adductis pergit ad originem & naturam corporum explicandam, unde liquet, neceſſitatem vocare Platonem ipſa corpora, Deumque in eam Imperium habere. In eodem Timæo pag. 709. Quoniam vero, (ait) corporeus ſpectabilisque & tractabilis erat futurus mundus, ac ſine igne videri nihil poteſt, nihilque ſine ſolido tangi, & ſolidum absque terra nihil, ideo in operis hujus exordio Deus ignem primo terramque creavit. Sed duo ſola absque tertio quodam commode cohærere non poſſunt, mediumque aliquod vinculum utrorumque deſiderant, & hoc aerem atque aquam eſſe dixit. Cum ſoliditatem mundus requireret, ſolida vero non uno ſed duobus ſemper mediis copulentur, inter ignem & terram Deus aerem aquamque locavit, eaque inter ſe invicem ita, quoad fieri poterat, comparavit, ut quemadmodum ignis ad aerem, ita aer ad aquam: ut aër ad aquam, ſic aqua ad terram congrue conferatur, qua ex conjunctione ita conſtitutus eſt mundus, ut aſpici tangique poſſit. Ex quo ſe amicitia concordi complectitur, atque ita apte cohæret, ut nequeat

queat dissolvi ullo modo nisi ab eodem, a quo est colligatum. Ex quibus verbis non solum patet, Deum sapienter ex mente Platonis omnia inter se copulasse, sed & Deo summum esse in materiam imperium. Ibidem pag. 492. Θεος μεν τα πολλα εις εν ξυγκερανυναι, και παλιν δ' εξ ενος εις πολλα διαλυειν ικανος, ως επιςαμενος αμα και δυνατος· ανθρωπων δε, ουδεις ουδετερα τουτων ικανος, ουτε εςι νυν, ουτ' εισαυθις ποτ' εςαι. Παντα δι ταυτα, τοτε ταυτη πεφυκοτα δ' εξ αναγκης, ο τε καλλιςε τε και αριςε Δημιουργος εν τοις γιγνομενοις, παρελαμβανεν, ηνικα τον αυταρκη τε και τον τελειωτατον Θεον εγγενναι, χρωμενος μεν ταις περι ταυτα αιτιαις ηδη διοριζεσθαι, το μεν αναγκαιον, το δε Θειον. Και το μεν Θειον εν απασι ζητειν κ]ησεως ενεκα ευδαιμονος βιε, καθ οσον ημων η Φυσις ενδεχεται. Το δε αναγκαιον ενεκεν χαριν, & paucis interjectis: ωσπερ γαρ αν και και' αρχας ελεχθη ταυτα ατακτως, εχοντα, ο Θεος εν εκαςω τε αυτω προσ αυτο και προσ αλληλα, συμμετριας ενεποιησεν, οσας τε και οπη δυνατον ην αναλογα και συμμετρα ειναι. Τοτε γαρ ουτε των ουτε τουτων οσον μη τυχη τι μετειχεν, ουτε το παραπαν ονομασαι των νυν ονομαζομενων, αξιολογον ην ουδεν, οιον περ και υδωρ, και τι των αλλων. αλλα παντα ταυτα πρωτον διεκοσμησεν,

ἐπεῖτα ἐκ τετων, παν τοδε ξυνεςησατο, ζωον ἐν ζωα ἐχον ἁπαντα ἐν αὐτω, θνητα τε ἀθανατα τε. Hæc ita vertit Ficinus. Deus multa in unum colligere, rurſusque multa in unum producere ſufficiens eſt. Scit enim ſimul ac poteſt. Homo autem nullus qui alterutrum valeat, aut eſt nunc, aut unquam erit. Hæc ſane omnia, ita naturaliter tunc effecta ex neceſſitate, ille pulcherrimi optimique Operis fabricator, in his quæ gignebantur, aſſumebat, quando Deum ſe ipſo ſufficientem & perfectiſſimum generabat: utens quidem cauſis ad hæc miniſtris, quod autem bene ſe habebat, ipſe in ſingulis agens. Duas enim cauſarum ſpecies diſtinguere decet. Unam quidem neceſſariam, alteram vero divinam. Ac divinam in omnibus quærere, ut beatam vitam, quoad naturæ noſtræ poſſibile eſt, adipiſcamur, neceſſariam quoque cauſam illorum gratia perſcrutari. Quemadmodum ab initio diximus, cum hæc ordine carerent, ſingulis Deus & ad ſeſe & ad alia invicem, eatenus modum rationemque proportionis indidit, quatenus ſuſcipere ſingula poterant. Tunc profecto nihil erat ordinis niſi forte caſu aliquo, particeps; nec quicquam tunc aqua vel ignis, vel aliud aliquid

aliquid eorum, quæ modo apud nos nominantur, jure vocandum erat. Verum hæc primum omnia primum exornavit, deinde ex iis hoc universum constituit, animal unum, animalia in se omnia mortalia & immortalia continens. Probavi igitur, Deo, judice Platone, jus & imperium in materiam competere, atque adeo sequetur, Deum nullo vinculo materiæ constringi.

IX. (*d*) Uti idem clarius adhuc pateſcat, duo addam argumenta. *Primum eſt, quod Plato non ſolum negaverit, Deum ulla ratione mali cauſam eſſe poſſe, ſed & adſeruerit, mentem noſtram liberrimam eſſe, pœnæ ac præmii capacem.* Lib. X. de Republ. pag. 472. ἀρετη δε ἀδεσποτον, ἡν τιμων και ἀτιμαζων, πλεον και ἑλαττον αὐτης ἑκαστος ἑξει. αἰτια ἑλομενε. Θεος ἀναιτιος. Virtus inviolabilis ac libera. Quam prout honorabit quis, aut negliget, ita plus aut minus ex ea poſſidebit. Eligentis quidem culpa eſt omnis: Deus autem extra culpam. Libr. II. de Republ. p. 430. ἐδ' ἀρα (ἐγω δ' ἐγω) ὁ Θεος, ἐπειδη ἀγαθος, παντων αν εἰη αἰτιος — ἀλλ ὀλιγων μεν τοις ἀνθρωποις αἰτιος, πολλων δε ἀναιτιος. πολυ γαρ ἐλαττω τ' ἀγαθα των κακων ἡμιν. Και γαρ μεν ἀγαθων ἐδενα ἀλλον αἰτιατεον. Των δε κακων ἀλλ' ἀττα δει ζητειν τα αἰτια, ἀλλ' ἐ τον

Θεον. Non igitur Deus, cum bonus ſit, omnium cauſa eſt, uti multi dicunt, ſed paucorum quidem hominibus in cauſa eſt, multorum vero extra cauſam. Multo enim pauciora nobis ſunt bona quam mala. Et bonorum quidem ſolus Deus cauſa eſt dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum cauſam quærere decet. In ſequentibus poſtquam Homerum reprehendiſſet, Deum malorum bonorumque cauſam perhibentem, addit: Malorum autem alicui cauſam eſſe ipſum Deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino, neque permittendum hoc quenquam dicere in ſua civitate, ſi bonis inſtitui legibus civitas debet, neque inſuper quemquam audire, ſive ille ſit Junior ſive Senior, ſive carminibus hæc inſerantur, ſive ſoluta Oratione narrentur, tanquam quæ neque dictu ſancta ſint, neque nobis utilia, neque inter ſe conſona. Eandem ſententiam tuentur Platonis ſequaces M. Tyrius diſſ. 30. pag. 313. ἀδὲν των μη καλων δίδωσι Θεος. Erudite nuper monuit Cl. Moshemius in diſſertat. de turbata per recentiores Platonicos Eccleſia; Proclum, Plotinum, Ammonium acerrime contra fatum & neceſſitatem dimicaſſe, nullosque liber-

libertati hominum ampliorem poteſtatem dediſſe Platonicis. Nec juvat plura Exempla adduxiſſe. Sed regeret forſan quispiam, nos ſupra jam confeſſos, Platonem originem mali in materia quæſiviſſe, & ita difficultatem non tolli. Deum enim ex ſententia Platonis materiam exornaſſe cunctaque ex ea formaſſe. Reſpondeo, non quæri, utrum Plato omnibus difficultatibus, quæ circa originem mali occurrunt, ſatisfecerit, hoc enim eum non præſtitiſſe lubentes concedimus. Qui ex his perplexis dubitationum ambagibus facile ſe eluctaturum exiſtimat, legat ille ſubtiliſſimorum ævi noſtri Philoſophorum, Baylii, Leibnizii, Clarkii &c. de hoc argumento cogitata, & mitius forſan de Platonis errore judicabit. Sufficit nobis, quod Plato exerte adſeruerit, peccata originem ſuam a libera mentis voluntate habere, Deum nonniſi boni auctorem eſſe, mala quæ vocant phyſica, equidem a materia oriri, ſed & Deo volente hæc homini probo in bonum cedere. Sic enim clariſſime Libr. 10. de Republ. pag. 670. loquitur. Sic igitur de juſto Viro exiſtimandum eſt, ſive paupertati, ſive morbis, ſive quibusvis aliis eorum, quæ mala videntur obnoxius ſit, huic demum vel

viventi

viventi vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducere. Neque enim a Diis unquam negligitur, quicunque juſtus evadere, virtutisque officiis, quoad homini licet, Deo ſimilis fieri conabitur. Forſan Plato, qui creationem ex nihilo concipere non potuit, reverentiâ Numinis, materiam finxit æternam & mali originem. Ita quidem ſentit Juſtinus M. cohort. ad Gr. p. m. 19. ἀγεννητον την ὑλην ἐφησεν εἰναι, ἱνα μη δοξη Θεον τε κακε ποιητην εἰναι λεγειν. Quanquam autem ex methodo philoſophandi, quam ſecutus eſt, neceſſario ſequatur mentem noſtram liberam eſſe, afferemus tamen quædam teſtimonia idem luculenter probantia. In Epinomide pag. 639. ita ait: Τα ὀντα εἰναι δυο, το μεν ψυχην, το δε σωμα, και πολλα ἑκατερων, παντα δε ἀλληλων ἀλλα και ἑκατερα ἑκατερων. Και τριτο ἀλλο ἐδεν κοινον ἐδενι, διαφερειν δε την ψυχην τε σωματος, ἐμφρον μεν πε το δε ἀφρον θησομεν, ἀρχον δε το δε ἀρχομενον, και το μεν ἀιτιον ἀπαντων, το δε ἀναιτιον πασης παθης. i. e. duo quædam eſſe animam atque corpus, & quæ ad utriusque genus pertinent eſſe multa: eaque ab aliis in genere ſuo differre, & utraque genera a ſe invicem eſſe diverſa: adeo ut tertium nihil utrisque ſit commune. Animam vero ita differ-

ferre a corpore, quod illa mentem habeat, hoc non habeat. Illa dominetur, hoc ſubjiciatur. Illa omnium paſſionum corporibus, hoc nullius cauſa ſit. Agnoſcit equidem hoc ipſo in Dialogo, aliquam dari in mente neceſſitatem, ſed circa ea quæ evidentia ſunt, quæque vel unico, ut ita dicam, intuitu mens percipit. Animæ (verba ſunt Platonis) vero intellectum habentis neceſſitas omnium neceſſitatum maxima eſt. Ducens enim non ducta gubernat. Quando autem anima quæ res optima eſt, conſilio ſecundum optimum intellectum perficitur, neceſſario eveniet, nec adamas ſolidius immobiliusque eſſe poterit. Vide in eodem Epinomide pag. 640. Euſeb. Præp. Evang. L. 12. cap. 28. Max. Tyr. diſſ. 25. & quæ ſupra de fato & neceſſitate adduximus. Eandem autem mentem pœnæ ac præmii capacem eſſe, non multis probabo, cum loca notiſſima ſint. Videatur Apologia Socratis, Liber X. legum, Phædo.

X. (*e*) Alterum argumentorum, idque ultimum, quo probamus Deum ex mente Platonis cum materia conjunctum nullo modo eſſe, deſuminus *ab opinione Platonis de interitu mundi. Aſſeruit enim, mundum ſola Dei voluntate, ſiquidem deſtruendus eſſet,*

ſet, interire poſſe. In ſuperioribus oſtendi, rerum omnium originem, ſaltem materiæ jam exiſtentis productionem ejusdemque ſapientiſſimam diſpoſitionem, ſoli Deo ex mente Platonis adſcribendam, unde ſequitur, machinæ hujus artificioſiſſimæ deſtructionem, ſi qua olim futura eſſet, eidem ſummo rerum Moderatori tribuendam. Si Deus inviolabili neceſſitatis vel materiæ vinculis conſtringeretur, fruſtra quæreretur, utrum voluntate Dei mundus deſtrui poſſet, omnia enim non poſſent non fieri, omnis libertas exularet; & quemadmodum omnia cæca quadam neceſſitate orta eſſent, ita non poſſent non ita manere. Talis omnium rerum neceſſitas locum habet in Syſtemate Spinoſæ, minime Platonis. Æque neceſſe fuit ex mente Spinozæ, ut Tiguri natus eſſem non alibi, ac neceſſe eſt, tres angulos trianguli æquales eſſe duobus rectis. Non poſſum ſecundum Syſtema ejus deſtrui, cum mens mea & corpus meum partes ſint æque neceſſario exiſtentes ac exiſtit Deus, cujus pars ſum. In Syſtemate Platonis origo hominum omniumque Creaturarum liberrimæ Dei voluntati, & miniſtris ejus tribuenda eſt. Eo igitur volente in antiquum Chaos cuncta referuntur:

runtur: Eo nolente manent. Decantatus locus eſt Platonis in Timæo pag. 481. Θεοι Θεων, ὡν ἐγω Δημιεργος, πατηρ τε ἐργων, ἁ δι ἐμε γενομενα, ἀλυτα γε ἐμε θελοντος. Το μεν ἀν δι δεθεν παν, λυτον. τογε μην καλως ἁρμοσεν ἡ ἐχον ἐυ λυειν ἐθελειν, κακε, δι ἁ και ἐπειπερ ἐγεγενησθε, ἀθανατοι μεν ἀκ ἐσε, ἀδ' ἀλυτοι το παμπαν. ἀτι μεν δι λυθησεσθε γε ἀδε τεοξεσθε θανατε μοιρας. της ἐμης βελησεως μειζονος ἐτι δεσμε και κυριωτερε λαχοντες ἐκεινων, οἰς ὁτ' ἐγιγνεσθε συνεδειςε. Dii Deorum, quorum Opifex ac Pater ſum, hæc attendite. Quæ a me facta ſunt, me ita volente, indiſſolubilia ſunt. Omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt. Sed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſeque habet bene, velle diſſolvere. Quapropter quia generati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles omnino non eſtis. Nec tamen unquam diſſolvemini, nec mortis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea, majus præſtantiusque vobis eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam nexus illi, quibus eſtis tunc, cum gignebamini, colligati. Similem in modum loquitur in eodem Timæo p. 709. Ed. Fic. quem ſupra pag. 25. & 26. adduximus locum. Ita etiam mentem Platonis explicat

cat Plutarchus de plac. Philoſoph. Lib. II. cap. 4. Πυθαγορας και Πλατων γενητον ὑπο θεε, τον κοσμον, και φθαρτον μεν, ὁσον ἐπι τη φησει, ἀιδιον γαρ εἰναι διοτι σωματικον, ἀ μην φθαρησομενον γε, προνοια και συνοχη Θεε. i. e. Pythagoras & Plato, mundum a Deo factum arbitrati ſunt, & quod ad naturam attinet, obnoxium interitui, quia corporeus, idcoque ſenſibus ſit expoſitus: non autem periturum, providentia eum & Deo continente. M. Tyrius diſſert. 29. pag. 309. probaturus, voluntate Dei fieri, ne mundus, in antiquum Chaos relaberetur, ita ait: ἀνευ τε ἀληθες μηθε μυθω ποιητε διαπιςευσης το παμπαν μητε φιλοσοφε λογω. Και γαρ Επικερος λεγει μεν λογες, ἀλλα μηθων ἀλοπωτερες, ὡςε ἐγωγε πιςευω μαλλον Ὁμηρω περι Διος λεγοντι, ὁτι ψυχαι δυοιν ἀριςειοιν ἐπι πλαςιγγος χρυσης ἐταλαντευε

Την μεν Ἀχιλληος, την δ' Ἑκτορος ἀνδροφονοιο

ἀναβεινας τε ζυγα τη δεξια, ὁρω γαρ ἡν ἑιμαρμενην των ἀνδρων συναπορευομενων τη Διος δεξια

— ἐ γαρ ἐμον παλιναγρετον ἐδ ἀπατηλον
ἐδ ἀτελευτητον ὁ, τι κεν κεφαλη κατανευσω

ἀιθενο

αἰσθανομαι των Διος νευματων. δια τετων γη μενει, και ἀναχειται θαλαττα και ἀηρ διαῤῥει, και πυρ ἀνωθει, και ἑρανος περιφερεται, και ζωα γιγνεται, και δενδρα φυεται. Ex verſione Heinſii. Sine veritate ergo nec fabulæ nimis pœticæ, neque, orationi credas philoſophicæ. Oratione enim Epicurus utitur, ſed quæ omnem fabulæ abſurditatem ſuperet. Quo fit, ut magis ego Homero credam, cum Jovem ait duorum fortiſſimorum animas heroum lance aurea libraſſe

Hectoris atque tuam, fortiſſime Achilles

dextraque Jugum ſuſtuliſſe. Video enim fatum eorum pariter cum Jovis dextra nutare.

— Nec enim mutabitur unquam
Quod capite annuero, nec falſum fine carebit.

Nutum Jovis intelligo, cujus beneficio terra movetur, mare diffunditur, aëer fluit, ignis ſurſum abit, cœlum in orbem verſatur, creantur animalia, naſcuntur arbores. Alia loca infra adferam, ubi locum Platonis initio hujus Sectionis adductum vindicabo. At-

que ita tertiam propoſitionem, quâ adſero, Platonem nullo neceſſario vinculo Deum materiæ alligaſſe, perſpicuis argumentis, niſi fallor, probavi.

XI. Reſtat uti ad ultimum argumentum, (quartum enim jam allatum) quo probare conor, Platonem a Spinozæ ſententia receſſiſſe deveniam, *nimirum, Deum omnipotenti & ſapientiſſima cura omnibus proſpicere & Providentia ſua omnia gubernare.* Præclariſſimus extat locus Lib. X. Legum pag. 883. quem brevitatis cauſa latine tantum proferam. ATHEN. Sed nunc illi duo tribus nobis reſpondeant, qui licet Deos eſſe concedant, alter tamen facile placabiles, alter in rebus parvis negligentes putat; primumque ſic interrogentur. Ambo Deos aſſeritis ſcire, videre, audireque omnia: nihilque ipſos effugere poſſe eorum, quæ aut ſenſu, aut intellectu percipiuntur, hæcne ita ſe habere dicitis an aliter? Sic. Deinde omnia eos poſſe, quæcunque mortales immortalesve poſſunt? CLIN. Absque dubio ita eſſe concedent. ATH. Bonos etiam imo optimos eſſe omnes quique confeſſi ſumus. CLIN. Omnino. ATH. Nulla ergo pigritia, nulla mollitie eos capi poſſibile: quandoquidem

quidem tales ſunt, quales eſſe conſenſimus, Nam a timiditate in nobis otium naſcitur : pigritia vero ab otio atque mollitie. CLIN. Vera loqueris ATH. Nullus ergo Deorum otio pigritiaque corruptus quicquam negligit. Nullius enim timiditatis Deus eſt particeps. CLIN. Probe ATH. Ergo relinquitur, ſi parvas paucasque in Univerſo res negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa eſſe ſciunt, aut quidnam aliud reliquum eſt, quam hujus contrarium ? CLIN. Nihil penitus. ATH. Utrum ergo, O Vir eximie, te dicere adfirmabimus, an quod propter ignorantiam, cum providere debeant, non provideant ? an ſicut improbos homines dicimus, meliora quidem videre, ſed voluptate aut dolore fractos deteriora ſequi, ſic Deos, quamvis ſciant providendum eſſe, ſimiliter non providere ? CLIN. Quomodo id fieri poteſt ? ATH. Præterea res humanæ, viventis naturæ participes ſunt : & homo ipſe præ cæteris animalibus Dei cultor diligentiſſimus eſt. CLIN. Apparet. ATH. quin etiam mortalia cuncta viventia, a Diis fieri poſſiderique, quemadmodum & cœlum Univerſum dicimus CLIN. Procul dubio ATH. Jam ergo ſeu parva hæc, ſive

magna quis dixerit Diis esse, nullo modo cum Providentissimi atque Optimi sint, negligenda sibi sua possessio est. Sed istud præterea considéremus CLIN. Quidnam? ATH. Num sensus & vires contrario inter se modo ad facilitatem, difficultatemque se naturaliter habent? CLIN. Quid ais? ATH. Parva quippe difficilius quam magna videntur & audiuntur, facilius autem tenentur ferunturque & Providentia gubernantur parva omnia & pauca, quam eorum contraria. CLIN. Certe multo facilius. ATH. Quid vero cum Medicus totum corpus curare velit ac possit, si magnis providerit, parva contempserit, an bene unquam se totum habebit? CLIN. Nunquam ATH. Sed nec gubernatores nec Imperatores, nec Patres familiâs, nec civitatum Moderatores, neque ulli omnino tales, paucis parvis neglectis recte multa & ingentia gubernant &c. Videantur anteced. & conseq. hujus Dialogi. In Epinomide p. 638. ex magnitudine & constanti ordine astrorum argumentatur ad probandam divinam Providentiam. Λαβωμεν δη τις τροπος αν ειη τοσουτον περιφερειν ογκον τινα φυσιν τον αυλον αει χρονον, οσον και νυν περιφερεται. Θεον δη φημι τον αιτιον εσεσθαι και ουκ αλλοτ' αλλως ειναι δυνατον.

δυηαΐον. Ἐμψυχον μεν γαρ ȣ̓ ποτε γενοιτ' ἀν ἑτερως πλην δια Θεον, ὡς ἡμεις ἀπεφηναμεθα. ὁτε δε τȣτο ὁιος τε ἐςι Θεος, ἁπασα ἀυτω ῥαςωνη γεγονε τȣ πρωτον μεν ξωον γεγονεναι παν σωμα και ὀγκον συμπαντα. Ἐπειτα ἐιπερ ἀν διανοηθη βελτιςα, ταυτη φερειν. νυν δι περι ἁπαντων Ἰȣΐων ἑνα λογον λεγοιμεν ἀληθη. ȣ̓κ ἐςι γην τε και ȣ̓ρανον ἁπαντας τε ἀςερας ὀγκȣς τε ἐκ τȣτων ξυμπαντας, μη ψυχης προσ ἑκαςω γενομενης, ἡ και ἐν ἑκαςοις εἰς ἀκριβειαν κατ' ἐνιαυτον ȣ̓τω πορευεσθαι καΐα μηνας τε και ἡμερας και ξυμπαντα τα γιγνομενα, ξυνπασιν ἡμιν ἀγαθα γιγνεσθαι. δει δε ὁσω φαυλοτερον ἐς' ἀνθρωπος, μη τι ληρȣντα γε, σαφως δε τι λεγοντα φαινεσθαι. i. e. Cogitemus igitur quomodo fieri possit, ut tanta magnitudo ab aliquâ naturâ possit tanto tempore circumferri. Ego igitur assero, Deum causam esse, nec aliter fieri posse. Animatum enim non aliter quam propter Deum fieri posset, ut nos declaravimus. Quoniam ergo id Deus facere potest; facile ipsi fuit primum omni corpori magnitudinique vitam tribuere; deinde, quâ ratione optime fieri cogitarit, hac ducere. Demum de his omnibus veram sententiam ferri volumus: impossibile esse cœlum, terram, stellasque omnes, & quæ ex

his conſtant moles, niſi anima ſingulis aut adſit, adeo exquiſitâ ratione annis, menſibus, diebusque circumvolvi, nobisque omnibus bona omnia facere. Hominem vero decet quo utilior eſt, eo minus de ipſis nugari, ſed conari potius certi aliquid dicere. Apparet equidem ex hoc loco, Platonem credidiſſe, ſingulis aſtris animas quasdam additas eſſe, ſed Divinâ Providentia ſimul id unice factum evidens ſimul eſt. Hinc & præclare aſſeruit idem Plato, Deum hominum proborum ſummam habere curam. In Alcibiade ait: και γαρ δεινον αν ειη, ει προς τα δωρα και τας θυσιας αποβλεπτεσιν ημων οι Θεοι, αλλα μη προς την ψυχην, αντις οσιος, και δικαιος ων τυγχανη, πολλω γε μαλλον, οιμαι, η προς τας πολυτελεις ταυτας πομπας τε και θυσιας. Hâc ſapientiſſimi & Optimi rerum omnium Moderatoris curâ fretus, ſpem futuræ felicitatis habuit. Χρη παντα ποιειν, ωσε αρετης και φρονησεως εν τω βιω μετασχειν. Καλον γαρ το αθλον, και η ελπις μεγαλη. in Phædone. Similiter ex mente Platonis Apulejus de dogm. Platonis, p. 375. Et primum quidem Providentiam eſſe ſummi Exſuperantiſſimique Deorum omnium; qui

qui non ſolum Deos cælicolas ordinavit, quos ad tutelam & decus per omnia mundi membra ſparſit; ſed naturâ etiam mortaleis Deos, qui præſtarent ſapientia cæteris terrenis animantibus, ad ævitatem temporis edidit; fundatisque legibus reliquarum diſpoſitionem ac tutelam rerum, quas quotidie fieri neceſſe eſt, Diis cæteris tradidit. Unde ſuſceptam Providentiam Dii ſecundæ providentiæ ita gnaviter retinent: ut omnia etiam, quæ cœlitus mortalibus exhibentur, immutabilem ordinationis paternæ ſtatum teneant. Nec tamen putandum, quædam divinæ Providentiæ ſubtrahi, quod Plato ſtatuat, Deum, non immediate omnia gubernare. Ipſi enim Cl. Viri Cudworth Clericus, Rajus, qui Naturas quasdam Plaſticas dari tuentur, quibus Deus in regimine Univerſi, præcipue productione plantarum &c. minime negant, omnia Dei imperio ſubeſſe, ſed miniſterio tantum earum uti. Similiter etiam Plato, quod ex citatis locis patet. Putabat enim, Majeſtate tanti Numinis indignum eſſe, omnia per ſe immediate ſine quibusdam miniſtris efficere & curare: ita expreſſe loquitur Apulejus de mundo p. m. 353. Quod ſi cui viro, ait, vel cuilibet Regi indecorum

eſt, per ſemetipſum procurare omnia & perficere, multo magis Deo inconveniens erit. Eandem divinam Providentiam contra Epicurum tuetur M. Tyrius diſſ. XXV. pag. 257. ἐ ὁ νες ἀῤῥαγης ὢν και ἀτρυτος, και ἐπι πασας ἐξικνυμενος φυσεις ἀμηχανω ταχει, ὡς προσβολη ὀψεως, παν κοσμει ὁτε ἀν ἐπαφησεται. Καθαπερ και αἱ παρ ἡλιε ἀκτινες προσπεσουσαι τη γη, λαμπρυνουσιν αὐτης το καθαληφθεν παν. Τις δε ἐσιν ὁ της ἐπαφης ταυτης τροπος, ἐγω μεν ἐιπειν ἐκ ἐχω, ἡνιξατο δε αὐτην ἔπεμα Ὁμηρος:

Ἠ και κυανεησιν ἐπ Οφρυσι νευσε κρονιων.

Ὁμε δε τω Διος νευματι γη ξυνεσι και ὁσα γης τερμαῖα, και θαλαττα ξυνεση και ὁσα θαλαττης γεννηματα, και ἀηρ ξυνεση και ὁσα ἀερος φορηματα, και ἐρανος ξυνεσι και ὁσα ἐν ἐρανω κινηματα. Ταυτα ἐργα των Διος νευματων. Μεχρι τειων ἀδεης ἐιμι χρησμωδιας. Και Ομηρω πειθομαι, και Πιξευω πλατωνι, και ὐικτειρω τον ἐπικουρον.

i. e. Cujus mens ſolida & incorrupta, nusquam dividitur, ſed incredibili velocitate, tanquam unico oculi intuitu, quodcunque tangit, ornat atque illuſtrat. Non ſecus ac radii ſolares in terram ubi incide-

runt,

runt, quamcunque ejus invaſere partem, eam illuſtrant. Quomodo autem id fiat, mihi nec promtum eſt dicere, Homerus tamen occulte innuit cum inquit:

Dixerat hæc, nigrisque Oculis Saturnia Proles Annuit.

Una cum nutu Jovis terra conſtitit, & quicquid terra educat; mare conſtitit, & quicquid mare producit: aër conſtitit, & quicquid aër fert: cœlum conſtitit, & quidquid in cœlo movetur. Omnia hæc opera Jovis nutus perfecit. Hactenus nullum oraculum requiro. Homero fidem habeo, Platoni credo, Epicuri me miſeret. Atque ita, niſi fallor, per partes probavi, Platonem ab opinione deteſtanda Spinozæ longiſſime receſſiſſe. Ut autem hoc clarius pateſcat, ratiocinationis meæ ſummam breviter proponam, & adjectis ipſiſſimis Spinozæ verbis oſtendam, quam adverſa fronte inter ſe pugnent dogmata Spinozæ & Platonis. 1. *Spinoza adſeruit unicam dari ſubſtantiam.* Eth. pag. 1. prop. XIV. præter Deum nulla dari, neque concipi poteſt ſubſtantia. prop. XV. Quicquid eſt, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe, neque

concipi poteſt. *Plato præter Deum ſupremam mentem, materiam dari, dæmones item, aliasque ſubſtantias adſeruit.* 2. *Plato credidit, libere Deum ad exornandum & condendum hunc mundum ſe accinxiſſe. Spinoza omnia ex neceſſitate divinæ Naturæ ſequi.* ibid. prop. 16. Ex neceſſitate, inquit, divinæ Naturæ infinita infinitis modis (hoc eſt omnia, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt) ſequi debent. 3. *Plato profeſſus eſt Deum fines ſapientiſſimos habuiſſe in productione omnium rerum. Spinoza* omnes fines rejicit. In appendice ad prop. 36. inter præjudicia hoc refert, dicens. Omnia, quæ hîc indicare ſuſcipio, præjudicia pendent ab hoc uno, quod ſcilicet communiter ſupponant homines, omnes res naturales ut ipſos; propter finem agere: imo ipſum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere. 4. *Deus ex mente Platonis libere agit non neceſſario. Spinoza Deus ferreo neceſſitatis vinculo conſtrictus eſt.* prop. 33. Si res alterius naturæ potuiſſent eſſe, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ Ordo alius eſſet: ergo Dei natura alia poſſet eſſe, quam jam eſt. prop. 35. Quicquid concipimus in Dei poteſtate eſſe, id neceſſario eſt. prop. 32. ſimpliciter ait.

Deus

Deus non operatur ex libertate voluntatis. 5. *Mens noſtra in Syſtemate Platonis libera eſt, in Spinozæ neceſſaria.* Eth. p. 2. prop. 48. In mente nulla eſt abſoluta ſive libera voluntas. Sed mens ad hoc vel illud volendum determinatur a cauſa, quæ etiam ab alia determinata eſt, & hæc iterum ab alia, & ſic in infinitum. 6. *In ſyſtemate Platonis locum habet divina Providentia, non item in Syſtemate Spinozæ.* Quia omnia ex neceſſitate divinæ naturæ ſequuntur, nec ulla libertas in Deo locum habet. 7. Quemadmodum totum univerſum Spinozæ Deus eſt; ita inviolabili neceſſitate omnia decurrunt, ut adeo neceſſe non ſit probare ex mente Spinozæ nulli mutationi & deſtructioni univerſum obnoxium eſſe poſſe. Plato deſtructionem mundi, ſi quæ futura eſſet, Dei voluntati adſcribit. Ex quibus omnibus, ſimul junctis concludimus, Platonem a Spinozæ ſententia longiſſime remotum eſſe, atque adeo Atheiſmi nullo jure accuſari.

XII. Examinemus jam argumenta, quæ Celeberrimus Vir N. H. Gundling in medium adtulit, uti probaret, Platonem in Spinozæ caſtra abiiſſe. Rationes ejus partim extant in Otiis faſc. 2. partim in ſingulari

gulari dissertatione novæ Bibliothecæ, quæ Halæ editur, inserta. Cum Otia ejus ad manus non sint, rationes autem Cl. Viri fideliter, uti existimo, adduxerit Cl. Wolfius in Manich. ante Manichæos pag. 142. primo eas adducam & expendam, postea dissertationem Bibl. novæ insertam, examini subjiciam, Bayliique dubia, quæ hinc inde movit producam in medium. Cl. Wolfius, postquam loco citato dixisset, Eruditissimum Gundling. existimare Systema Spinosisticum a Platonico non esse diversam, ita pergit. Hanc vero habet ita „ sentiendi causam, quod Spinoza unam ex „ Deo & materia fingat substantiam, idem ve- „ ro fiat, simulac Platonis Deus, cum materia „ se conjungat, sive id pleniſſima libertate „ summaque voluntate fiat, quod Plato vult, „ sive, quod Stoici contendunt, necessario. „ Respondet Cl. Wolfius, Deum Platonis in Creatione & formatione hujus universi, non tam vi phrasium Platonicarum se cum materiâ conjungere & commiscери, quam ad eam effingendam ceu ἀπο μηχανης accedere. Et mea opinione rectissime ita respondet Cl. Wolfius; nulla enim ratione perspici potest, quâ ratione, Deus cum mundo unica fiat substantia, simulac Deus ad ma-

ad materiam exornandam ſe accingit. Nemo mortalium dixerit, artificem, quo cum Plato Deum etiam confert, cum ædificio unicam fieri ſubſtantiam, quamprimum animum elaborandæ materiæ adjicit. In conjunctione mentis & corporis, arctiſſima locum habet Unio, nemo tamen dicet mentem & corpus unicam ideo fieri ſubſtantiam. Materia, antequam Deus eam exornaret, fuit ex mente Platonis ſubſtantia & quidem æterna, Deus quin etiam excellentiſſimo gradu ſubſtantia erat. At quomodo res diverſiſſimæ unica fieri poſſunt ſubſtantia? Sane ſi Spinoza adſeruiſſet, materiam eſſe ſubſtantiam eamque æternam, Deum autem ſapientiſſimum Ens liberrimum ad eam exornandam animum applicuiſſe, nemo eum unquam omne Numen tollere, adfirmaſſet; ſed cum omnia quæ exiſtunt, unicam tantum abſolvere ſubſtantiam profeſſus erat, eamque ſubſtantiam Deum eſſe perhibuiſſet, in deteſtandum errorem prolapſus eſt. Imo meâ opinione vel præſtantiſſima modernorum Philoſophorum ſyſtemata, purum putum Spinozismum involvere dicenda eſſent, ſi liberrima Dei conjunctio cum materiâ id probaret. In Syſtemate Chriſtianorum con-

conjunctio quædam Dei cum mundo locum habet, ſed minime neceſſaria, libera vero quam maxime. Supponimus voluiſſe Deum mundum condere ſive ex nihilo creare, adſerimus in mente Dei fuiſſe ideas rerum condendarum, adfirmamus Deum ſecundum quasdam leges in materiæ natura haud fundatas, mundum gubernare, imo continuâ quâdam, nec interrupta conſervatione eum ita ſuſtinere, ut ſine perpetuâ ejus curâ in antiquum Chaos ſive potius nihilum relaberentur cuncta. Hinc Deus & materia ſine dubio unica fierent ſubſtantia, ſi vel liberrima conjunctio, ſalvis quin etiam manentibus proprietatibus utriusque ſubſtantiæ, ad hoc ſufficeret. Produximus autem ſupra, niſi fallor, evidentiſſima loca ex Platone, quibus probatur, liberrimam fuiſſe Dei voluntatem reſpectu materiæ effingendæ. Pergit Cl. Gund-
„ling, referente Wolfio, dicendo. Nullum
„ inter Stoicorum Platonisque ſyſtemata ob-
„ ſervari diſcrimen, niſi quod hic conjun-
„ ctionem cum materia animæ a ſummo
„ Deo ſeparatæ, illi autem ipſi Deo tribue-
„ rint. Hanc autem diverſitatem inde por-
„ ro evincere conatur, quod a Platone
„ anima judicetur eſſe â mente, hæc vero â

Deo

Deo, adeoque ſingula hæc re ipſa non „ differant, quod vel inde pateat, cum Pla- „ to mundum Deum & animal appellet. „ Reſpondet Cl. Wolfius 1. phraſes Platonicas & Stoicas non temere inter ſe eſſe confundendas. Atque adeo tacite innuere videtur, ſyſtema Stoicorum merum Spinoziſmum involvere. Scio, utramque in partem diſputari poſſe. Hactenus tamen argumentis evidentiſſimis nondum probatum eſſe credo, Stoicos Spinozæ opinioni addictos fuiſſe. Diverſimode ratiocinabantur, adeo, ut diverſiſſima Syſtemata inde confici poſſint. 2. Reſpondet, animam mundi alio loco non habuiſſe Platonem ac Creaturam a Creatore diſtinctam, nec negare tamen audet, eam Platoni ex ipſa divina eſſentia decerptam videri. De anima mundi ex mente Platonis infra dicendi locus erit. Hoc tantum dico, ſi anima mundi, ab ipſa materia & Deo ſupremo diſtincta eſt, tum Platonis ſyſtema adverſa fronte cum Syſtemate Spinozæ pugnat. Hic enim unicam agnovit ſubſtantiam; cæteræ ſubſtantiæ, mentes, corpora &c. nonniſi modificationes ſunt unicæ illius, quam fingit, ſubſtantiæ. Imo cauſa reddi non poteſt, cur Plato ejusmodi animam mundo

præfe-

præfecerit, quam ne Deum ſummum & excellentiſſimum arctius cum materia, quam par erat, uti exiſtimabat, conjungeret. Sed ait Cl. Gundling. animam illam mundi eſſe a mente, mentem a Deo, adeoque ſingula non differre. Sed ſi vel maxime concederem, hanc fuiſſe Platonis mentem, de quo tamen, uti ex infra dicendis patebit, juſtæ dubitandi rationes adſunt, nondum video, qua ratione conceſſis iſtis omnibus ſequeretur, unicam tantum dari ſubſtantiam, aut Deum neceſſario vinculo cum materia conjungi. Ponamus, mentem per emanationem quandam a Deo ortam, animam ex mente, num inde ſequitur, Ergo mens, anima & Deus unica tantum ſunt ſubſtantia? quis nobis hactenus ex mente illorum Philoſophorum modum hujus emanationis, quam Cl. Vir ſupponit, explicuit? Sane poteſt Deus uti Ens aliquod ſufficientiſſimum conſiderari, ex quo mentes omnes emanaverint, quæque in Deo ſubſtiterint, ſed non ut partes eſſentiæ Dei, quibusve emanantibus eſſentia Dei diſcerpta quaſi fuerit, ſed uti res a Deo quidem diſtinctiſſimæ in infinita tamen & inenarrabili Natura Dei ſubſiſtentes. Sed quomodo, inquiet, hæc intel-

intelligi poſſunt, aliquid in Deo eſſe, & tamen ſine detrimento perfectionum divinarum, emanare poſſe. Fateor, me hujus emanationis modum non concipere evidenter & clare, neque tamen adeo periculoſam & abſurdam hanc opinionem eſſe, hactenus perſpicere poſſum; facile quin etiam mihi perſuadeo, veteres quosdam imo & modernos Philoſophos emanationem aliquam ſtatuere poſſe, quæ ipſorum judicio nullam in Deum imperfectionem inferret. Num melius & clarius nos percipimus quâ ratione poſitâ voluntate Dei immenſa rerum ſenſibilium moles exorta fuerit, moveantur, creſcant, & ad certos fines dirigantur? Quod ſi igitur quam maxime mens illa a Deo emanaverit, anima a mente, concedereturque, hæc aliquam imperfectionem involuere, conſtat tamen ſimul clariſſime, mentem ſupremam a mundo diſtinctam eſſe; adeoque non erit. Una tantum ſubſtantia, ſed diverſiſſimæ & diſtinctiſſimæ, quod ex attributis duarum illarum ſubſtantiarum ſatis patet. Pone etiam, non animam, ſed Deum cum materia conjungi, nondum tamen, quod Cl. Vir intendit, ſequitur. Oritur enim quæſtio de modo Unionis. In ſyſtemate Spi-

nozæ omnia, id eſt, & mentes & corpora, ſimul juncta, unicam illam ſubſtantiam, quam Deum appellat, efficiunt. At ſupra locis clariſſimis oſtendi, mentem ſeu Deum a materia longiſſime ſecretum, Deumque liberrime ad materiam exornandam ſeſe accinxiſſe. Unde ſequitur, non obſtante illa conjunctione, manere tamen Deum & materiam ſubſtantias, toto cœlo diverſas. Afferenda ergo eſſent mea opinione loca, in quibus Plato aſſereret unicam tantum dari ſubſtantiam, aut mentes & corpora, modos tantum eſſe Dei, aut omnia abſolutâ quâdam neceſſitate ex Deo oriri. At hoc præſtari non poſſe, vel univerſa facies Philoſophiæ Platonicæ clamat. 3. *Ait Cl. Vir Platonem mundum animal vocaſſe.* Ita eſt, vocavit mundum animal pulcherrimum. Quo ſenſu id factum ſit a Platone, ſatis conſtat attente Timæum Platonis legenti, vide pag. 708. & ſeq. verſ. Ficini. Omnia huc redeunt. 1. Deum voluiſſe pulcherrimum opus efficere. 2. Subſtantiam ratione & ſenſu præditam præſtare inanimatis. 3. Materiam, antequam Deus manum eidem admoveret, non ſolum fuiſſe rudem indigeſtamque molem, ſed & omni ſenſu deſtitutam. 4. Ornaſſe igi-

tur

tur Deum mundum, aſtra præprimis, variis intelligentiis, hinc mundum animali ſimilem, eumque pulcherrimum eſſe. Quid autem hæc faciant ad probandum, Platonem unicam tantum ſtatuiſſe ſubſtantiam, aut neceſſario vinculo Deum cum materia conjungi, ego non video. Si Deus ab animali illo diſtinctus eſt ex mente Platonis, hoc nobis ſufficere debet. Quod ſi vel maxime Plato Deum quatenus cum mundo conjungitur, Animal vocaſſet, nondum tamen malam in partem hæc appellatio accipi pateret, niſi evidentiſſimis ſimul rationibus probari poſſet, ſenſum ſubeſſe Spinozæ, aut ſummam ſaltem Deo ita tribui imperfectionem. At notum eſt, diverſas ſectas eodem vocabulo, diverſimode uti; potuiſſet igitur Plato, ſi vel maxime animalis nomine Deum & mundum ſimul ſumtum intellexiſſet, ab impia Spinozæ opinione abire. 4. *Objicit Cl. Gundling. Platonem mundum Deum vocaſſe.* Cl. Wolfius locum ſibi oſtendi poſtulat, & extat locus ſane clariſſimus in Timæo pag. 478. ubi mundum bis Deum vocat, ὅτος δὴ πᾶς ὁντος ἀεὶ λογισμος θεκ, περὶ τον ποτε ἐσομενον θεον λογισθεις, λειον καὶ ὁμαλον πανταχῃ τε ἐκ μεσε ἰσον καὶ ὅλον,

και τελεον ἐκ τελειων σωματων, σωμα ἐποιησε. Cum hæc igitur Deus, qui ſemper eſt, de aliquando futuro Deo cogitaret, lævem eum effecit, æqualemque & a medio ad ſummum usque parem, corpusque ex corporibus totis & perfectis totum atque perfectum. Et paucis interjectis. Itaque, ait, omnibus hiſce de cauſis, mundum Opifex ejus Deum beatum effecit. Sed ideo tamen nullum detrimentum patitur philoſophia Platonis, præterquam enim quod vox Θεος diverſas habeat ſignificationes, & Θειον omne, quod in genere ſuo eximium eſt, denotet, quod integro capite oſtendit Vir Summus, Joh. Clericus. Art. Crit. P. II. Sect. 1. cap. 3. clariſſime apparet, Platonem in hisce locis, Deum ſummum, ab eo, qui demum efficiendus erat, ſeu mundo non ſolum clariſſime diſtinguere, ſed & eundem ſummum mundi Rectorem, Opificem illius Θεε γενητε vocare, eumque Dei imperio ſubjicere. Unde ſane ſatis conſtat, hanc appellationem nimium urgeri non poſſe. Et hæ ſunt præcipuæ rationes Cl. Gundlingii uti eas adduxit Cl. Wolfius. Cum autem Cl. Vir in diſſertatione, Novæ, uti vocatur, Bibliothecæ inſerta, accuratius & prolixius, ſententiam ſuam proponat,

nat, juvat hæc accuratiori etiam examini ſubjicere, ſed ita uti memores ſimus, cum quo diſputemus, Viro nempe Celeberrimo & Eruditiſſimo, quique libertatem philoſophandi & ſibi & aliis lubens concedit.

XIII. Adferam autem ipſiſſima verba Cl. Viri, ne forte in materiâ difficili alienum ipſi ſenſum adfingam. Poſtquam p. 4. in genere dixiſſet; Eſt ineptum hujus Hominis, Platonis ſc. συζημα, monſtroſum, horrendum, errorum atque ἀθεολήπλος pleniſſimum; eadem pag. ſic incipit. " Id au-„ tem primo pono, ſtatuiſſe Platonem Deum, „ quem appellat, bonum, quia res, quas „ videmus, innumeris bonis cumulavit: „ pulchrum, quia principium rerum omni-„ um eſt: & inenarrabilem denique, quia nihil, „ in rerum naturâ invenitur, quod ve[illegible] ge-„ nere vel ſpecie ei appareat ulla ratione „ conforme. Nemo non credat, nihil po-„ tuiſſe ab Homine Philoſopho magnificen-„ tius proferri. Saltem ejus generis ſer-„ mo in tantam admirationem legentes „ adducit, ut ad unum fere omnes ibi conſi-„ ſtant: imprimis ſi Oratorium ſchema ac-„ cedat, & piperatæ facundiæ verba tam „ ſpecioſa principia conveſtiant. At quam „

„primum phyſicam Academiæ Condito-
„ris doctrinam ſerio & ſine veſte conſide-
„ramus, & quemadmodum mundus efflo-
„ruerit, indagamus, alia vero omnia ex-
„perimur. Statim enim bina obſervamus
„principia : Θεον και ὑλην. Materia co-
„æterna eſt, ἀγεννητος quidem, uti Timæus
„Locrus vult, ſed a Deo per emanatio-
„nem ſempiternam coorta, utpote quam
„ἀσχημαλιςον και ἀπειρον informem & infini-
„tam e ſinu expulerit ſuo. Quod poſte-
„rius inprimis obſervandum eſt, ut intel-
„ligatur tum Dei & materiæ æterna con-
„junctio, tum etiam æterna emanatio. Re-
„cte namque rationes ſubducunt, qui Pla-
„tonis Deum principem ac Regem ut Im-
„mobilem, & in ſummo otio verſantem
„mente concipiunt, e cujus fœcundiſſimo
„ſinu effluxerint omnia, atque ipſa etiam
„ὑλη, non tam tempore quam conceptu
„poſterior deſtillaverit. Quod quidem
„mollius ferendum ſapientibus foret, niſi
„materiæ e viſceribus Summi Parentis
„propulſæ malignam adeo naturam tribu-
„iſſet, ut ipſe Deus ſummus eam penitus
„corrigere ac reſtituere in integrum ne-
„quiverit. Unde non male Jeſuita Baltus
„concluſit, latere in hoc dogmate Mane-

tis

tis μανιαν, de quâ nunc quidem dicendi„ locus non eſt. Id notamus, fuiſſe tandem„ Deum ſupremum e Platonis ſententia, „ quæ nudâ mentis præciſione nititur, per-„ motum, ut materiæ ſine formâ jacenti„ auxiliares manus adferret, eamque veluti„ ſylvam denſam atque aſperam in melio-„ rem ſtatum redigeret. Quod cum ſine ratione perfici non poſſit, tertium, quod„ vocavit ideam, excogitavit, quam meo„ permiſſu verbum internum appellites„ licet, quod itidem ex abundantia divinæ„ Majeſtatis effluxit. Neque vero Naturæ„ divinæ, utpote in otio & tranquillitate„ fluitanti, congruere videbatur, ut ipſa„ manum operi admoveret. Eo fine no-„ vum principium emergebat, quod per„ me iterum verbum externum voces. „ Hoc mundum, qui Dei μονογενης dicitur, „ intravit, ut ψυχικος και λογιστικος evaderet,„ id eſt, animatus & rationalis. Ex ratio-„ ne ſeu intellectu innumeræ ideæ, quæ„ intelligentiarum, Spirituum, ac Deorum„ Nominibus inſigniuntur, procedentes, „ mediæ quaſi inter animas ex mundi ani-„ ma permanantes, & materiam extite-„ runt; illamque tandem ſcalam effece-„ runt, per quam a materia ad animam, „

„ab anima ad ideam ſeu intellectum, ab „intellectu ad primam illam unicam & „optimam naturam aſcenderetur, eaque „ratione res generatæ, cum Rege & Paren„te tam ſenſibilium quam intelligibilium „conjungerentur. Ex quo clarum fit, De„um Platonicum ſic componi e rebus in„telligibilibus, ſenſibilibus, corporalibus, ut „Deus Spinozæ, ex quo omnia & qui cum „& in omnibus. Quemadmodum enim „Spinoza Numen ſuum, duabus imprimis „proprietatibus cogitatione & extenſione „inſtruxit: ita ad latus Dei Platonici duæ „hypoſtaſes obſervantur, quarum una eſt „materia extenſa & animata, altera cogi„tans ſeu λογικη. Quod Plato ὑποϛασιν, ſeu „principium oratorio more vocat, id Spi„noza nude & ſecundum Carteſii idioma „adtributum nominat. Sat eſt, in eo „conſpirare Platonem & Spinozam natu„ram eſſe Unum; ex unitatis viſceribus „prodiiſſe materiam, prodiiſſe intellectum, „prodiiſſe animam efficacem, inde adhuc „prodire omnia & texi, quemadmodum „ex aranco prodit tela affabre efficta, aut „ex unitate numeri exſurgunt infiniti; quod „niſi Atheiſmus ſit, doceri ſane percupio, „quid iſte ſit. Hactenus Cl. Vir, ex cujus

verbis

verbis quid ſibi demonſtrandum ſumſerit ſatis patet. Poſſemus hæc omnia ſimpliciter negare, & ad ſuperiora provocare, nullis enim perſpicuis Veterum locis munita ſunt, quæ Cl. Vir hic adſerit, niſi forte excipias Timæi Locri locum, unde unâ cum Baylio (Continuation des penſees diverſes p. 345.) hanc graviſſimam accuſationem repetiit. Id unice hactenus ergo mihi incumbit, ut locum Timæi Locri, cui tota Cl. Viri accuſatio innititur, uti ex ſequentibus patebit, accurate perpendam. Non poſſum tamen, quin prius adducam prudentiſſimum monitum Viri Venerandi & doctiſſimi. J. F. Reimanni, quod extat Hiſt. Univerſ. Atheiſmi pag. 161. 162. Unico loco (ita loquitur Cl. Vir) tantum innititur ſuſpicio Celeberrimi Gundlingii, & quidem loco ejusmodi, qui non Platonis eſt proprie, ſed Timæi Locri Pythagorici quem l. c. loquentem introduxit Plato, & ex cujus libello hunc Dialogum dicitur compilaſſe, ſi Timoni Sillographo credimus apud Gellium L. 3. N. A. c. 17. pag. 112. Cujus ſententiam non magis fortaſſis pro ſua agnoſceret Plato, ſi reviviſceret, quam Euripides Cyclopis, vel Cicero Velleji. Adde quod locus omnium in toto dialogo

eſt obſcuriſſimus, nec id καλὰ ῥῆτον in ſe comprehendit, quod vir doctiſſimus Platoni tribuit, ſed ex eo elicitur tantum per conſequentiam, quam Timæus fortaſſe non prævidit, & ſi prævidit commodâ interpretatione eandem credidit poſſe temperari. Siquidem non omnis Dei cum mundo conjunctio Spinozismum involvit, ſed ea, quæ dicitur neceſſaria, eſſentialis, æterna. Et eſto hunc locum ita eſſe comparatum, ut ex eo aliquid poſſit exſculpi in Platonis præjudicium, ſexcenta tamen ſunt alia quæ oppido docent contrarium, & in hac diſſertatione Timæi nonnulla leguntur, ex quibus patet eum animam mundi a Deo diſtinxiſſe, & toto, quod ajunt, cœlo a Spinoza fuiſſe diverſum. Æquitati autem eſt conveniens, de mente autoris non ex uno tantummodo loco, ſed ex pluribus & ejus δυσνοήτα facilioribus & clarioribus aperire, & ea etiam, quæ male dicta ſunt, quoad ejus fieri poteſt, in meliorem partem interpretari. Hactenus Cl. Reimannus, quæ monita mea opinione vel ideo non negligenda ſunt, quod non agatur de errore nullius momenti, ſed Atheiſmo, qui nemini ſine evidentiſſimis rationibus tribui debet. Non quidem hac accuſatione Platoni

toni nocere poſſunt Viri Eruditi, qui a me diſſentiunt, utpote qui jam diu ad plures abiit, ſed aliquando exemplo ſuo nocere poſſunt viventibus. Dantur enim eheu! vel hodienum in tanta literarum luce multi, qui obſcuriorem aliquam & inſolitam Viri Docti propoſitionem peſſimum in ſenſum detorquent, & miras inde & periculoſas nectunt conſequentias, quod recentiſſimis exemplis, ſi veterem renovare dolorem juvaret, probare poſſem. At hi magnorum & Eruditorum Virorum exemplis ſe tueri ſolent. Sed examinemus jam præcipua loca Timæi Locri, quæ lucem huic conrtoverſiæ accendere poſſunt. pag. 543. ed. Galei. principio opuſculi ait: *δυο αἰτιας ἐιμεν των συμπαντων. Νοον μεν ἰων κατα λογων γιγνομενων, ἀναγκαν δε των βια ἰκαττας δυναμεις των σωματων.* Duas eſſe rerum Omnium cauſas: mentem quidem, earum, quæ ratione aliqua naſcuntur, & neceſſitatem earum, quæ exiſtunt vi quadam, ſecundum corporum potentias & facultates. *Τετεων δε τον μεν τας τ' ἀγαθω φυσιος ἰμεν, Θεον τε ὀνυμαινεσθαι ἀρχαν τε ἰων ἀριςων.* Harum rerum, id eſt, naturæ bonorum, optimum eſſe quoddam rerum Optimarum principium

& De-

& Deum vocari. Habes hic primo νοον cauſam rerum, quæ intelligentia præditæ ſunt, ſecundo την ἀναγκην, quo nomine materia, eaque quæ ex ejus diverſa diſpoſitione oriuntur ſenſu Platonico notantur, tertio primam omnium & præſtantiſſimam rerum cauſam Θεον. Confer. hîc Viri Summi J. Clerici Epiſt. Crit. VII. p. 197. Tom. 3. Poſtquam hæc in genere dixiſſet, pergit ita: Τα δε ἑπομενα τε ϗ συναιτια ὡς ἀναγκαν ἀναγεσθαι. Τα δε συμπαντα, ἰδεαν, ὑλαν, αἰσθητον τε, ὁιον ἐκγονον τουτεων; ea vero quæ conſequuntur, & tanquam adjuvantes cauſæ accedunt, ad Neceſſitatem reduci. Omnia enim eſſe ideam materiam ſenſile veluti earum fœtum; ideam eſſe ait: νοητον παραδειγμα των γεννομενων, materiam ἀγενατον και ἀκινατον ingenitam & immobilem, nullibi ex eſſentia Dei vel natam vel expulſam, eandem ait eſſe ἐκμαγειον και μητερα, ἱθαναν τε και γενναιικαν ἁς ἱριτας ἐσιας, porro ἀμορφον και ἀσχηματιϛον eandem vocat. pag. ſq. 545. denuo æternitatem eidem attribuit dicens πριν ὠν ὠρανον γενεσθαι, λογω ἠϛην ἰδεα τε και ὑλα, και ὁ Θεος Δημιεργος ἁ βελτιονος. Si omnes illas phraſes quæ a Timæo adhibentur, perpendamus, facile patet, materiam Timæo æternam, paſſivam, inor-

inordinatam videri, e sinu autem Dei tanquam partem Dei expulsam, nemo facile observare poterit. Consideratur uti aliquid non solum a Parente rerum optimarum distinctum, sed & ab ipsa idea, seu mundo intelligibili, præterea non Dei tantum Imperio subjicitur, sed & Ideæ, quam pag. 445. tanquam Patrem considerat. Mundus quidem consideratur ὁιον ἐκγονον, Ideæ & materiæ, qui demum accedente singulari potentia & voluntate Dei liberrima ortus sit. Hinc eadem pag. 545. ita loquitur Timæus ex vers. Gal. Quandoquidem igitur antiquius juniore præstantius est, & id quod ordinatum est, inordinato, Deus cum nimirum bonus sit & videret materiam recipere formam & alterari varie quidem, sed tamen inordinate: vidit quoque opus esse, ut eam ipse in ordinem reduceret, & ex indefinitis mutationibus ad certam definitamque constitueret: ut corporum distinctiones, mutuâ ratione inter se responderent, neque temere vicissitudines ultro citroque reciperent. Ἐποιησεν addit, ὠν ἰον δε κοσμων ἐξ ἁπασας τας ὑλας, ὁρον αὐτον κατασκευαξας τας τω ὀντως φυσιος, i. e. Hunc igitur mundum ex omni materia creavit Deus, universique

que naturam terminum ipſum circumſcripſit atque definiit pag. 546. Quum igitur vellet Deus ἀριϛον γενναμα ποιηειν pulcherrimum fœtum producere, hunc effecit Deum genitum, nunquam corrumpendum ab alia cauſa, præterquam a Deo; de eodem mundo eadem pag. κρατιϛος ὲϛι των γενναϛων, ἐπει ὑπο τω κρατιϛω ἀιτιω ἐγενετο, ἀφορωντος ἐϛ χειρηματα παραδειγματα ἀλλ' ἐς ταν ἰδεαν και ἐς ταν| νοαταν ἐσιαν mundus optimus eſt rerum genitarum, quandoquidem ab optima cauſa extitit, proponente ſibi non exemplaria quædam manuum opificio edita, ſed illam ideam intelligibilemque eſſentiam. Hic obſervari velim Timæum adſerere, Deum mundum in ordinem redegiſſe, mundum feciſſe, illius voluntati & originem exiſtentiæ & continuationem tribui, ad perfectiſſimum denique Exemplar factum eſſe, quæ omnia minime ſignificant expulſionem quandam, aut effluxum ex eſſentia Dei, quod Cl. Vir ſupponit. Pag. 548. de Origine Animæ mundi agit, ubi denuò nulla expulſio locum habet. Ταν δε, ait, τω κοσμω ψυχαν μεσοθεν ἐξαφας ἐπαγαγεν ἔξω, περικαλυψας ἀυτο ὁλον ἀυτα, κραμα ἀυταν κερασαμενος,

μενος, ἐκ τε τας ἀμεριςω μορφας και τας μεριςας ἀσιας. ὡς ἐν κραμα ἐκ δυω τετεων ἐιμεν, ὡ ποτεμιξε δυο δυναμις ἀρχας κινασιων, τας δε ταυτω κκι τας τω ἑτερω. i. e. Animam autem mundi in ipsius medio indidit Deus, & extra eduxit, ipsumque universum ipsa contexit certo quodam temperamento contemperatam, ex forma nimirum individuâ & ex dividua essentia, ut unum quoddam temperamentum ex his duobus existat, cui duas potentias immiscuit, motuum principia, ejusdem videlicet & alterius. De eadem pag. 549. ait. Hanc vero non ultimam ordinavit Deus post corpoream ipsam essentiam, sed antiquiorem creavit. Quamvis circa naturam hujus animæ quædam obscuriora sint, patet tamen 1. eam a Deo distinctam, 2. ad certos fines ab ipso Deo ordinatam, ipsius Imperio subjectam. Eadem pag. de Deo ita loquitur Timæus: Θεον δε, τον μεν ἀιωνιον νοος ὁρη μονος, τον ἁπαντων Αρχαγον και γενετορα τετεων. pag. 551. Deus autem tempus cum ipso mundo ordinavit. Non enim erant astra ante tempus; neque proinde annus, neque anni tempestates, certis circuitibus distinctæ, quibus genitum hoc tempus definitur. Est autem tempus ingeniti temporis imago, quod

quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc universitas ad intelligibilis mundi Exemplar creata est, ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam cum mundo ab opifice fuit constitutum. Pag. 556. ait: post mundi constitutionem, mortalium animantium generationem, molitus est Deus, ut ad imaginem illam perfectus esset plane atque absolutus. Pag. 557. sensus nobis datos esse a Deo ad sapientissimos fines. Pag. 562. & sq. originem vitiorum in pravis animi affectionibus, temperamento & consuetudine quærit. Præclarus locus est pag. 565. quem, ne prolixior sim, latine tantum adscribam. Intelligentia, ait, & antiqua illa Philosophia mentem mendacibus, inanibusque opinionibus expurgatam, & ex magna ignorantia revocatam scientiæ dedicarunt, eamque ad rerum divinarum contemplationem erexerunt. In quarum rerum cognitione si quis ita versetur, ut animum gerat sua sorte contentum, humanosque casus sub se positos habeat, & in hac animi æquitate quasi secundo flumine admoderatam temperatamque vitam, aspiret, is profecto viam ingressus est veræ felicitatis. Et hæc præcipua sunt dogmata

quæ

quæ in libello hoc Timæi Locri continentur, invenire tamen, quæ mea est ingenii imbecillitas, non potui id, quod Cl. Vir inde deduxit, nimirum materiam e sinu Dei fuisse ejectam. Unde necesse esse non puto, ut multis ad ea, quæ ex hac hypothesi deduxit, consectaria, respondeam, cum nullis apertis testimoniis munita sint. Crediderim Cl. Virum (quod si in eo erro, veniam mihi dabit Cl. Vir) non tam auctoritate Timæi Locri, quam Baylii aut Suverænii ad sententiam hanc tuendam motum fuisse. Baylius *continuat. des pensees sur les Cometes* pag. 342. cap. 68. probare vult, Platonem unitatem Dei non agnovisse. Provocat quam maxime ad Suverænium. Hic autem in Platonismo detecto pag. 93. ita loquitur. *Timæus Locrus, d'ou Platon a puisé sa Doctrine, pose d'abord un principe tres bon. Ensuite il distingue trois ordres des choses* 1. *l'idee, ou la forme qui est éternelle en Dieu, & qui est l'Exemplaire perpetuel de toutes les choses engendrees & sujetes au changement: voila le premier verbe, le verbe interne & intelligible.* 2. *La matiere, par ou il entend cette substance, que Dieu pousa hors de son sein, destituee de forme, & que d'autres ont appellé le second verbe, ou le verbe proferé.* 3. *Ajant*

conſideré l'idee comme le Pere, & la matiere comme la Mere, il pretend que de ces deux principes il s'en forme un troiſieme, qui en eſt le fils, qu'il apelle le ſenſible, ou le monde ſenſible, pour le diſtinguer de l'intelligible, & que d'autres ont appelle l'Eſprit qui anime le monde, & l'Ordre de la Nature. De la il conclut, qu'il n'ya qu'un monde, que ce monde eſt le fils unique de Dieu (μονογενης) *qu'il eſt parfait, qu'il eſt doué d'Ame & de raiſon.* Vides Suverænium, Baylium, Gundlingium provocare ad Timæum Locrum adſerentem, materiam ex-ſinu Dei ejectam, omnes tamen locum, in quo perſpicue hæc dixerit Timæus, ſilentio præterière. Exinde tamen, Cl. Gundling argumentatur, Platonem Spinozæ ſententiæ addictum fuiſſe. Baylius ſimiliter, adductis locis Suverænii, ita loquitur: *Aues vous jamais rien lu, de plus monſtrueux? Ne voila-t-il-pas le monde forme d'une ſubſtance que Dieu pauſſé hors de ſon ſein? Ne le voila-t-il pas l'un de trois Dieux? Et ne faut-il pas le ſubdiviſer en autant des Dieux qu'il y a des parties dans l'Univers diverſement animées? N'aves vous point la toutes les horreurs, toutes les monſtruoſités de l'ame du monde? plus de guerres entre les*

Dieux

Dieux que dans les Ecrits des Poetes? les Dieux Autheurs de tous les peches des hommes? les Dieux qui puniſſent, & qui commettent les memes crimes, qu'ils ordonnent de ne point faire? Audio hic quidem Rhetorem belle declamantem, miñime autem Philoſophum accurate ratiocinantem. Debuiſſet Baylius primo locum Timæi, ad quem Suverænius provocat, ad genuinas interpretationis regulas examinare, nec ſtatim auctoritati Suverænii credere; ſecundo, cogitata Timæi cum Platonis conferre, & ſolerter inquirere, utrum Plato idem ſenſerit nec ne, tumque demum licuiſſet conſectaria alterutram in partem urgere. Sed hoc minime præſtat Baylius; & ſtatim provocat ad Gaſſendum, qui loca Plutarchi & Plotini attulit; Cum autem Cl. Gundlingius in ſequentibus ad Gaſſendum pariter & Plutarchum provocet, ſuo loco ea examinabimus. Patet autem, niſi fallor, hactenus Cl. illos Viros minime demonſtraſſe, materiam ex mente Platonis ex eſſentia Dei propulſam fuiſſe. Facile autem prævidit Cl. Gundling, ſine argumentis & teſtimoniis clariſſimis neminem opinioni ſuæ acceſſurum, accingit igitur ſe ad majorem lucem huic opinioni affundendam

pag. igitur 8. ita ait. „Conſtat inter „omnes, Platonem materiam Deo ſuo jun„xiſſe æternam. Id Jacobus Thomaſius, „J. Clericus. J. Ch. Wolfius aliique Viri „Cl. fatentur. Hieroclem Platonicum „non moramur, utpote qui Chriſtianorum „opinionibus ſæpe velificans Platonis do„gmata haud raro inflectit. Tantum in„quirendnm eſt, ſitne illa materia orta a „Deo nec ne? Multi qui eam ἀγενητον „deſcribi obſervarunt, non etiam natam „a Deo crediderunt. At quamlibet ea „non ſit ſecundum Chriſtianorum doctri„nam & Stylum creata atque ex nihilo „producta; tamen permanavit e Deo. In „Timæo equidem nihil certi invenitur; utut „jam doctiſſimus Galeus animadvertit in „Philebo ejus rei veſtigia comparere. „Aperte quippe Socrates affirmat, Deum „το μεν ἀπειρον δειξαι των ὀντων, το δε περας, „hoc eſt, ex iis quæ ſunt, alterum infini„tum, alterum manifeſtaſſe finitum. „Ἀπειρον ſeu ἀπειρια materiam primam ſi„gnificat: quod jam Serranus ante Ga„leum indicavit. Et ita vero materia ma„net ἀγενητος, uti ipſe Deus, etſi eam „manifeſtavit, hoc eſt, ex ſe expulit, atque „ita oſtendit: quemadmodum το δειξαι

expoſuit

exposuit Ficinus multo doctior Serrano. „ Unde mirandum non est, Jamblichum „ ἀπο τȣ πατρος των παντων eam derivasse „ uti etiam Damascius. Ὑλη inquit: τις ἐκ „ Θεων, ϗ ἡ ὑλη ἀποτης αὐτης ταξεως, ὁθεν το ἐιδος. „ Damascius vero ab ore Simplicii pepen- „ dit; & Justini Imperatoris ætate vixit: ut „ Julianum silentio prætermittam, qui in „ Oratione. V. ἐξ ἀιδιȣ συμπροελθȣσης της „ ὑλης των Θεων meminit. Quod si autem, „ materia a Deo emanavit, in sinu sane „ ejus extitisse necesse est. Sin hoc, materia „ sine dubio cum Deo fuit conjuncta — „ hactenus Cl. Gundling. Ex adductis Cl. Viri verbis patet, omnia redire ad testimonium e Philebo citatum. Mirum autem est, in Timæo Platonis nihil a Cl. viro inveniri, quod ad sententiam suam stabiliendam facere possit, cum tamen simul cum Baylio ad Physica Platonis dogmata provocet, in quibus tamen, uti notum est, rerum omnium originem pandit. Testimoniis autem Plotini, Damascii, Simplicii, tot seculis post Platonem natorum, non magis crediderim, quam Judæis recentioribus dogmata Veteris Ecclesiæ Judaicæ explicantibus, aut Monachis VIII. seculi dogmata Christi & Apostolorum ad

ſuas opiniones detorquentibus. Afferenda ſunt, cum de Platonis Atheismo agitur, loca minime obſcura ex ipſo Platone. At id minime præſtat Cl. Vir. Quod jamjam oſtendam. Locus Philebi extat mihi p. 159. Dialogus ille agit de ſummo Bono, ſimulque ad explicandam illam materiam vel potius obſcurandam multa adducuntur de uno & multis, finitis & infinitis: ad explicationem autem propoſiti tentandam ita Socrates loco citato: Παντα τα νυν ὀντα ἐν τω παντι διχῃ διαλαβομεν. Μαλλον δ' ἐι βελει, τριχῆ. Πρ. Καθ' ὁ, τι φραζοις ἀν; Σω. λαβωμεν ἀττα των νυν δη λογων. Πρ. Ποια. Σω. τον Θεον ἐλεγομεν πα, το μεν ἀπειρον δειξαι ἰων ὀνἰων, το δε περας. Πρ. Παυυ μεν ὀν. Σω. Τετων δη ἰων ἐιδων τα δυο τιθωμετα, το δε ἰριτον δεξ ἀμφοιν ἰξἰοιν ἐν τι ξυμμισγομενον. Ἐιμι δ' ὡς ἐοικεν ἐγω γελοιος τις ἱκανως κατ' ἐιδη διἰξας, και συναριθμεμενος. Πρ. Τι φης ὠγαθε, Σω. Τελαρἰκ μοι γενες ἀυ προσδειν Φαινεται. Πρ. λεγε'τινος Σω. της συμμιξεως τετων προς ἀλληλα την ἀιτιαν ὁρα και τιθει μοι προς τρισιν ἐκεινοις, τεταρτον ἰξἰο. i. e. Ex verſione Ficini. Omnia, quæ nunc in Univerſo ſunt, bifariam diſtinguamus. Imo ſi vis trifariam Pr. quonam pacto? Soc. Accipiamus nonnulla

nulla ex iis, quæ nunc a nobis ſunt dicta Pr. Quænam? Soc. *Deum dicebamus ex iis quæ ſunt, alterum quidem infinitum, alterum vero terminum oſtendiſſe.* Pr. Omnino quidem. Soc. Has itaque Species duo illa ponamus: tertium vero unum ex utrisque commixtum. Ridiculus tamen videor admodum, dum per ſpecies dividere atque dinumerare iſta contendo Pr. Quid ais, O bone Vir? Soc. Quarto adhuc genere opus eſſe conſtat. PR. Quonam? Soc. Cauſam alternæ commixtionis iſtorum conſidera: eamque præter tria illa, quartum ponito. Cum autem hæc minus perſpicua ſint, audiemus ipſum Platonem, mentem apertius in ſequentibus explicantem, optimumque verborum ſuorum Interpretem. Brevitatis autem cauſa ſequemur verſionem Ficini, quam ſatis accuratam Cl. Vir exiſtimat. Pag. 87. Plato, quid finiti quid infiti nomine intelligat explicat, ſaltem narrat. Quæcunque, inquit Socrates, magis ac minus vehementer atque remiſſe, nimisque & hujusmodi quædam admittunt, cunctum in unum infiniti genus reducenda ſunt, quemadmodum ſupra diximus, aſſerentes omnia, quæ dividua diſperſaque ſunt, in unum oportere colligi, ſecundumque vim

unam, velut unam quandam naturam ſignari. Quæ vero talia minime, ſed horum contraria accipiunt omnia, primo quidem æquale ipſum atque æqualitatem, poſt æquale & duplum & ſingulas inde proportiones quascunque, ad numerum numerus & ad menſuram menſura habet, hæc inquam omnia in genus finiti merito referemus. Poſtea pag. 88. Socrates tertium explicat dicens; infinitam commiſce cum progenie termini. Pr. Quam dicis & quomodo Soc. Æqualis & dupli progeniem & quæcunque diverſa quæ ſunt, contraria infeſtaque eſſe non ſinit, ſed commenſurata, & conſona reddens numerum efficit. Pr. intelligo. Dicere namque mihi videris, ſi iſta miſcentur, generationes quasdam ex eorum ſingulis eventuras. Soc. Et recte videor. Tandem ad quartum etiam applicandum ſe accingit, ſimulque totam rem aperit. Vide enim, inquit Socrates, an non neceſſarium videtur, quodcunque gignitur, per aliquam cauſam gigni. Pr. mihi plane. Quomodo enim absque ea fieret. Soc. Et efficientis natura nomine duntaxat a cauſa differt, efficiensque & cauſa unum merito vocabuntur. Pr. Merito. Soc. Quin etiam factum ac genitum ſolo nomine diſcrepabunt.

bunt. Pr. Certe. Soc. Præcedit quidem atque ducit natura ſemper quod efficiens eſt: quod vero factum eſt ab eo genitumque, ipſum ſequitur. Pr. Prorſus Soc. Non ergo idem, ſed aliud eſt cauſa, & quod ad generationem cauſæ ſervit. Pr. Quid prohibet? Soc. An non genita ipſa, & ex quibus gignuntur omnia, tria nobis genera præbuerunt? Pr. Maxime. Soc. Omnium autem iſtorum Opificem quartum ponimus, cauſamque vocamus, utpote aliud quiddam, quam illa ad ſufficientiam demonſtratum. Pr. Ponimus absque dubio. Soc. Verum jam decet, cum quatuor iſta diſcreta ſint, quo melius ſingulorum meminerimus, ſingulatim illa dinumerare. Pr. Utique. Soc. Primum igitur Infinitum dico, ſecundum terminum, tertium mixtam ex iis genitamque eſſentiam: poſtremum mixtionis generationisque cauſam, ſi quartum vocem numquid erravero? Prot. Nullo pacto. Hæc pag. 89. voluptati & Sapientiæ adplicat Plato, oſtenſurus, neque voluptatem omne bonum, neque dolorem omne malum. Paulo poſt ita pergit. Utrum O Protarche dicendum eſt, univerſum hoc agi ab irrationali quâdam temerariaque & fortuitâ poteſtate? an contra

quemadmodum Majores noſtri ſenſerunt, ordine quodam mentis & ſapientiæ mirabilis gubernari. PRO. Nulla eſt comparatio. Nam, quod modo dicebas, o Socrates, prophanum mihi videtur: fateri autem mente hæc omnia exornari, ſententia quædam conſpectu mundi ſolisque & lunæ cæterorumque ſyderum, & omnis denique cœleſtis circuitus digna eſt, nec ego unquam aliter de iis loqui aut ſentire auſim. Idem adſerit pagina ſequenti. Judicent igitur Viri me perſpicaciores utrum ex adducto Philebi loco firmiter concludi poſſit, materiam e ſinu Dei expulſam fuiſſe. Ego, ut ſimpliciter dicam quod ſentio, nec veſtigium, nec umbram hujus rei video, nedum ut aliquâ probabilitatis ſpecie ſe ſe commendet objectio inde petita.

XIV. Pergamus ad alias Cl. Viri objectiones. Pag. 10. poſtquam eos reprehendiſſet, qui Platonicam creationem cum „Chriſtiana confundunt, addit. Qui vero „materiam emanaſſe a Deo ſtatuunt, forte a „Spinozæ doctrina proxime abſunt. Cauſa „eſt, quod & hic principium unum, neceſſarium, æternum, per ſe ſubſiſtens, admittat, ſed „in quo lateant, & ex quo profluant procedantve univerſa. Unde merito rogantur Pla-

Platonis cultores, ut ediſſerant, quomodo „ illa emanatio evenerit. Mihi nullum „ dubium hæret, quin aut Deum concepe- „ rit ut extenſum & dividuum, aut ut to- „ tum, quod motu quodam interno ſepara- „ verit & diviſerit materiam, veluti partem „ ſui & matricem ſenſilium rerum omnium. „ Quod Spinoza modificationem, id Pla- „ tonici emanationem appellant. „ Breviter tria circa hæc moneo, primum eſt, exiſtima- re me, falli eos, qui credunt materiam ex nihilo creatam ex mente Platonis; inte- rim tamen multa loca e ſcriptis Platonis adferri poſſent, ex quibus majore proba- bilitatis ſpecie inferri poſſet, mundum ex nihilo creatum, quam omnia ex infinita Dei eſſentia orta eſſe. 2. Miror Cl. Vi- rum ſtatim ac negavit Platonem creatio- nem ex nihilo credidiſſe, adſerere, eum emanationem omnium rerum ex Deo pro- feſſum eſſe. Datur enim tertium, nimirum duo æterna rerum principia ſtatuendo, quod familiare veterum aſſertum fuiſſe, præter tot alios, oſtendit Cl. ille Wolfius, a quo circa hanc controverſiam, abit. Ne- ceſſe igitur non eſt, ut hujus Emanationis rationem Cl. Viro explicemus, hactenus enim nullo teſtimonio demonſtravit, Pla-

tonem

tonem hanc emanationem materiæ credidiſſe; quod ſi vel maxime tamen nec Plato, nec alii modum explicare poſſent, num ideo ſequeretur falſam eſſe? Minime crediderim. Nemo quâ ratione omnia e nihilo facta ſint perſpicue explicuit, firmiter tamen credimus. 3. Indubium videtur Cl. Viro, Platonem Deum uti extenſum, aut ut totum &c. conſideraviſſe, mihi vero & aliis, ut ſumus homines, non dubia tantum ſed falſiſſima videntur. Deum Platonis non extenſum, non ſolidum, tot loquuntur præclara Veterum loca, ut poſt ea, quæ ſupra adduxi, nil neceſſe ſit addere. Certe, ſi Plato Deum concepiſſet inſtar totius, quod motu interno materiam ſeparaſſet, quid opus erat fingere materiam per ſe ad motum eſſe ineptam? quomodo eam ex ſinu ſuo depulſam exornare potuit? quem in finem mundum intelligibilem & animam mundi finxiſſet Plato? Si hæc, quæ adſerit Plato de exornatione mundi, pura puta figmenta ſunt, oſtendendum ergo nobis eſt, quo tandem in loco clare ac perſpicue de Emanatione illa locutus fuerit. Scio nihil tam abſurdum quod non ab aliquo Philoſophorum dictum & propugnatum fuerit, haud ignoro ingenium

Pla-

Platonis, ad miras τερατολογιας fingendas aptiſſimum. Sed ſine evidentiſſimis argumentis tamen nemini abſurdam quandam ſententiam adſcribendam puto. Cæterum quatenus Ægyptii Stoicique cum Platonis decretis conſenſerint, diſputare hic nolo, quæritur duntaxat Platonis mens & ſententia. Pergit Cl. Vir pag 12. dicendo. Deus Platonis eſt cum ὑλη, ſed quam „ παρηγαγεν ἐξ ἀιονως atque cum ea ſe ite-„ rum & ab æterno, veluti aranea cum tela „ conjunxit. Verba extrema ab æterno forte „ non allubeſcent contraeuntibus. In tempo-„ re, inquiunt, id factum eſt, libere. Sed vere-„ or, ne qui ſic arguunt infeliciter decipiantur. P. Gaſſendus certe falli omnes haud te-„ mere adfirmat, qui Platonis materiam & „ animam ante mundum fuiſſe effectam „ credunt. Occurrit hic non tam tempore „ prius quam naturâ. Quicquid Platonici „ mente depingunt, mentis præciſionem „ indicat, verum nihil. Quod ut clarius „ percipias, fac te pedem in pulvere con-„ ſtituere, habebis, credo, veſtigium æter-„ num: Ecquando? ſed jam peto a te, ne „ tempore prius cogites. Ariſtoteles ſine „ circuitione edixit: mundum eſſe æter-„ num: quod Plato ſæpe ſub mentis præci-„ ſioni-

„ſionibus occultavit ſuis. Alcinous rotun-
„de cap. XIV. ὁταν δε λεγη γεννητον ἐιναι τον
„κοσμον, ὐκ ὐτως ἀκυςεων, ἀυτυ ὡς ὀντος ποτε
„χρονυ ἐν ὡ ὐχ ἠν κοσμος. ἀλλα διοτι ἀει ἐν
„γενεσει ἐςι, και ἐπιφαινει της ἀυτυ ὑποςασεως
„ἀρχικωτερον τι ἀιτιον. Και την ψυχην δε ἀει
„ὐσαν τυ κοσμυ ὐχι ποιει ὁ Θεος, ἀλλα κατα
„κοσμειν. Cum vero genitum vult eſſe
„mundum, non hoc eum voluiſſe putan-
„dum eſt; ut tempus fuerit aliquod, quo
„mundus non eſſet: verum quia ſemper
„in generatione perſiſtit, eſſentiæque ſuæ
„præſtantiorem aliquam magisque princi-
„palem eſſe cauſam indicat. Anima præ-
„terea mundi, quæ ſemper fuit, non effi-
„citur a Deo ſed ornatur tantum. Similiter
„Apulejus Lib. 1. dog. Plat. mentem Ma-
„giſtri pandit: Et hunc quidem mundum
„nunc ſine initio eſſe dicit: alias origi-
„nem habere, natumque eſſe. Nullum
„autem ejus exordium atque initium eſſe,
„ideo, quod ſemper fuerit: nativum vero
„videri, quod ex his totius natura & ſub-
„ſtantia conſtet, quæ naſcendi ſortitæ ſint
„qualitatem. Ex quo appoſite colligitur,
„quam parum tribuendum ſit argumento
„eorum, qui quod Plato mundum γεννητον
dixit,

dixit, eundem in tempore fuiſſe factum „ contendunt. Ita Cl. Gundling poſt Bay-„ lium *continuat. des penſees diverſes.* p. 346. Ad hæc ſequentia noto 1. eſt, materiam ab æterno cum Deo conjunctam fuiſſe, falſum eſſe, ſupra niſi fallor abunde oſtendimus, nec Auctoritas Gaſſendi ſummi alias Philoſophi, evidentiſſimis rationibus & teſtimoniis deſtituta, nos multum moratur. 2. Nec Apulejo & Alcinoo a Platonis genuina ſententia recedentibus fidem habemus. Novimus Plotinum, Taurum, Porphyrium, cum Ariſtotelis argumenta pro mundi æternitate ſolvere non poſſent, nec fateri tamen vellent, rectius Ariſtotelem ſenſiſſe, quam Platonem, commentos eſſe rationem (verba ſunt G. Voſſii de Sectis Philoſoph. cap. 12. p. m. 70.) qua ambo viderentur idem ſenſiſſe. Ajunt enim, Platonem, cum mundum ait genitum, non loqui de mundo genito ſecundum principium temporis, quomodo Platonem accepere Ariſtoteles &c., ſed de principio ſecundum cauſam: ut ſic mundus a Deo dicatur, uti lumen eſt a ſole. Hactenus Voſſius. Idem obſervavit Stillingfleet. Orig. Sac. Lib. 3. cap. 2. pag. m. 868. Eleganti ſimilitudine eorum mentem expreſ-

ſit

ſit Auguſtinus de Civit. D. Lib. X. cap. 31. Sicut enim inquiunt Platonici, ſi pes ex æternitate ſemper fuiſſet in pulvere, ſemper ei ſubeſſet veſtigium: quod tamen veſtigium a calcante factum nemo dubitaret. Nec alterum altero prius eſſet, quamvis alterum ab altero factum eſſet: Sic inquiunt & mundus atque in illo Dii creati & ſemper fuerunt; ſemper exiſtente qui fecit, & tamen facti ſunt. Sed in ea fuiſſe ſententia ipſum Platonem, probari vellem; non ſolum enim Deus Platoni dicitur: Ὁ ποιητης και πατηρ τε παντος, ſed & in ſpecie de Republ. Lib. X. Ὁ γην, ἐρανον, ϗ Θεας, και παντα τα ἐν ἐρανω, και τα ἐν ἀδε, και ὑπο γης ἁπαντα ἐργασαμενος. Clare autem mentem Platonis perſpicimus, ſi attendimus ad ea, quæ de tempore dixit. Obſervavimus ſupra Platonem in Timæo plerumque ſecutum cogitata Timæi Locri. Is autem pag. 551. ſq. ita de hac materia rationatur, χρονω δε τα μερεα, ταςδε τας περιοδως λεγοντι, ἀς ἐκοσμησεν ὁ Θεος συν κοσμω. ἐ γαρ ἠν προ κοσμω ἀςρα. διοπερ ἐδ' ἐνιαυσος. ἐδ' ὡραν περιοδοι, ἀις μετρεεται ὁ γενναtος κοσμος (alii χρονος) ἐτος. ἐικων δε ἐςι τω ἀγεννατω χρονω ὁν ἀιωνα ποταγορευομες. ὡς γαρ ποτ' ἀιδιον παραδειγμα τον ἰδαεινον κοσμον ὁδε ὡρανος ἐγενναθη

νητη, ἅτως ὡς προς παραδειγμα των ἀιωνα ὁδε χρονος συν κοσμω ἐδαμιεργοθη, i. e. ſunt vero hæ temporis partes, quas circuitus vocant. Deus autem tempus cum ipſo mundo ordinavit. Non enim erant aſtra ante tempus : neque proinde annus , neque anni tempeſtates certis circuitibus diſtinctæ,quibus genitum hoc tempus definitur. Eſt autem tempus ingeniti temporis imago, quod æternitatem vocamus. Quemadmodum enim hæc Univerſitas ad intelligibilis mundi Exemplar creata eſt ; ita & hoc tempus ad æternitatem, veluti ad Exemplar quoddam , cum mundo ab Opifice fuit conſtitutum. Clare ſatis hic Timæus aſtra ſimul cum tempore exorta eſſe ait, item tempus ad æternitatem ab Opifice fuiſſe conſtitutum. At in eandem ſententiam concedit Plato in Timæo. p. 711. verſ. Ficini. Dies porro, ait Plato, & noctes & menſes & annos , qui ante cœlum non erant , tunc naſcente mundo naſci juſſit, quæ omnia temporis partes ſunt. Atqui erat & erit, quæ nati temporis ſpecies ſunt, non recte æternæ ſubſtantiæ adſignamus. Dicimus enim de illa eſt, erat, & erit. Sed illi revera ſolum eſſe competit. Et in ſq. Tempus vero unâ cum cœlo fa-

ctum est, ut, unâ orta, unâ etiam dissolvantur, si qua his solutio unquam contigerit, & ad exemplar æternæ naturæ ideo factum, ut mundus hic illi præstantiori quoad potest simillimus sit. Et hæc sane sententia cum reliquis dogmatibus Platonis amice conspirat. Docet enim, materiam primo fuisse ἀμορφον καὶ ἀσχηματιςον, docet ad exemplar æternum factam, argumentatur ab ordine rerum ad demonstrandam Entis sapientissimi existentiam & Providentiam, æternitatem soli Deo competentem solerter distinguit a tempore. Quæ omnia mea opinione satis testantur, mundum ex mente Platonis non ab æterno ortum. Scio Cl. Virum cum Baylio ad præcisionem aliquam mentis confugere, sed demonstrandum prius est clarissimis testimoniis, sententiam Platonis de hoc negotio ita esse comparatam, ut sine suppositâ quâdam mentis abstractione intelligi non possit. 3. Quod si vel maxime Cl. viro concederemus, Platonem credidisse mundum ab æterno ortum, nondum tamen inde sequeretur, Platonem Atheum esse. Aliud enim est adserere mundum ab æterno per se extitisse, aliud mundum ab æterno voluntate & omnipotentia Entis Intelligentis exortum.

Qui

Qui prius defendunt ſine dubio Athei ſunt, non item qui poſterius; concedunt enim cauſam aliquam æternam eamque ſapientiſſimam mundi, licet ſimul ſtatuant eandem ab æterno mundum produxiſſe. Obſervavit hoc ante me Eruditiſſimus, Clarkius, Vir hac in parte nemini ſuſpectus, in demonſtrat. Exiſt. D. & R. Chriſt. pag. 45. Tom. I. *Je conviens*, ait ille, *que l'opinion de l'eternité du monde, eſt incompatible avec le ſentiment commun : cependant puisque les defenſeurs de cette opinion ne l'ont pas crûe incompatible avec la croiance d'un Etre Eternel, tout puiſſant & tout ſage, Autheur & Createur de l'Univers : & puis que les argumens dont ils ſe ſont ſervis pour defendre leur ſentiment, ſont beaucoup plus propres a renverſer l'exiſtence neceſſaire & l'independance du monde materiel, qu'a l'etablir, qu'y a-t-il de plus injuſte & de plus deraiſonable que la pretenſion de nos Athees modernes, qui ſe parent de l'Authorité de ces Autheurs anciens, & qui les alleguent, comme ajant eté de leur parti? Qui ne voit en effet, que c'eſt en vain qu'ils allegueront ce que ces Anciens ont dit de l'eternite du monde, tandis qu'ils ne pourrons pas faire voir, qu'ils ont auſſi nié l'exiſtence & le pouvoir ſu-*

preme d'une Intelligence Eternelle? Ita Clarkius, quo nemo majori argumentorum pondere Atheiſmum ſubvertit.

XV. Pergit Cl. Vir p. 13. ſq. „ Scio quid „ impulerit plerosque ut de Ὀρθοδοξια Pla„ tonis tam benigne ſentirent. Deprehende „ runt illi, multum de ſapientia, idea atque „ artificio, quod in mundo apparet, diſſe„ ruiſſe Magiſtrum. Inde conjecerunt, ha„ bere ejus mundum Δημιεργον externum, „ magna ſapientia conſpicuum. Verum „ obſervavit jam doctiſſimus Vitringa, non „ eſſe mundi Opificem a mente Dei diver„ ſum. Idem qui nunc Opifex, nunc iti„ dem mens dicitur: addit porro, nec „ mentem eſſe reapſe a mundi anima di„ ſtinctam, ſed logica tantum præciſione „ concipi ut ſeparatam: perinde ac quoti„ die voluntatem & intellectum tanquam „ res ſeparatas conſideramus, quamvis una „ mens ſit, quæ intelligat atque velit. „ Hinc Plato eam animum Spiritumque di„ xit, qui cum mente idem eſt. Diſtin„ ctio quæ hic occurrit, iterum commen„ titia videtur. Vocatur νους, cum intelli„ git, appellatur Spiritus, quando quod in„ telligit, exequitur, quemadmodum igi„ tur voluntas ſine corporis interventu cer-

ni non

ni non poteſt, ita anima mundi, cui pro-„
priam ὑποϛασιν adjecit, nonniſi mentis &
ſummi Dei Spiritus eſt, diffuſus & extenſus
per Univerſum, ſicuti materia Carteſii„
ſubtilis. Quibus conſtitutis conſequitur„
ſane, ut Deus Platonis, Univerſum, ma-„
teria, mens, anima, mundus, unius rei di-„
verſæ tantum denominationes videantur.
Quod ne a me credatur confictum, Plu-„
tarchum cito, qui in libro de procreatio-„
ne animæ nobiſcum egregie conſentit.„
Ὁμαλως δε παντες ἑτοι χρονω μεν οἰονται„
την ψυχην μη γεγονεναι μηδε εἰναι γεννητην,„
πλειονας δε δυναμεις ἐχειν, εἰς ἃς ἀναλυονται„
θεωριᾶς ἑνεκα την ἑσιαν αὐτης λογω του Πλα-„
τωνα γινομενην ὑποτιθεσθαι και συγκεραννυμε-„
νην. Τα δε αὐτα και περι τε κοσμε διανοε-„
μενον ἐπιϛαθαι μεν ἀϊδιον ὀντα και ἀγενητον.„
Το δε ὡ τροπω συντεταχται και διοικειται κα-„
ταμαθειν ἑ ῥαδιον ὁρωντα τοις μητε γενεσιν„
αὐλε, μηϊε των γεννητικων συνοδον ἐξ ἀρχης„
προυποθεμενοις ταυτην την ὁδον τραπεσθαι.„
h. e. Iſti omnes æque ita ſentiunt, ani-„
mam tempore non eſſe ortam, neque„
originem competere in eam: ſed pluri-„
bus eſſe præditam facultatibus, in quas„
eam Plato contemplationis gratiâ diſſol-„

„vens, ponat natam esse & commixtam. „Eademque illum de mundo etiam sen„sisse: quem cum sciret esse æternum & „nunquam ortum, videret autem difficul„ter considerari, quomodo compositus es„set & gubernaretur, nisi quis ortum ejus „& causarum ipsum conficientium congres„sionem ab initio posuisset: isti viæ ac ra„tioni institisse. Ita Cl. Gundling.

Ostendere vult Cl. Vir, Deum Platonis, Universum, materiam, mentem, animam, mundum, unam eandemque rem esse, nonnisi diversis adpellationibus distinctam; & ad hoc probandum ad Vitringam & Plutarchum provocat. Probare hoc loco nolumus, universum & materiam a Deo distinctum esse, probavimus enim hoc supra, nec ullum testimonium manifestum hactenus a Cl. Viro allatum est, quo constet, materiam aut ex essentia Dei emanasse, aut insolubili vinculo cum eo connexum, nedum uti Deus ipse corpus aliquod subtilissimum sit, adeo ut conclusio Cl. Viri non possit non vacillare. Hisce notatis tria ostendemus, *primum est* hypothesin Cl. Vitringæ, si vel maxime certa esset, nihil tamen ad stabiliendam sententiam Cl. Viri facere, *Secundum* animam illam mundi revera

revera a Deo Opifice omnium rerum diſtinctam, 3. teſtimonium Plutarchi minus recte ad propoſitum trahi. Quod primum attinet, verum eſt, Cl. Theologum *νυν ἐν ἁγιοις* Vitringam exiſtimaſſe, ſententiam Suverænii de trinitate Platonica, quâ ſtatuit, Platonem deſignare voluiſſe tres excellentiores illius proprietates, quæ in Creatione hujus Univerſi eluxere, bonitatem nimirum, ſapientiam & potentiam ejus, a vero haud abhorrere. Legi diligenter libellum Suverænii, ſed invictis rationibus & teſtimoniis e Platone petitis ſententiam hanc munitam eſſe, perſpicere haud potui. Ponamus tamen veram eſſe hanc ſententiam, ſequetur omnia, quæ de anima mundi dicuntur, convenienter huic ſententiæ explicanda & interpretanda eſſe. Deus, quatenus ut Opifex omnium rerum conſideratur, bonitate ſua ex mente Platonis, ad exornandum hoc univerſum commotus eſt. Idem Univerſum, ad ſapientiſſimos fines dirigit & tandem potentiâ ſuâ omnibus, maximis minimis non ſolum proſpicit, ſed & operatur efficaciſſime; quæcunque igitur de operationibus animæ mundi in hoc univerſo dicuntur, ſecundum hanc ſententiam mollius explicari deberent: dicitur

exempli gr. animam mundi materiæ infusam hac stante hypothesi Suverænii aliter explicari non potest, quam Deum potentia sua infinita & imperscrutabili materiæ massam singulis momentis conservare, conservatam movere & fœcundare. Solemus enim & nos phrases, quæ prima specie duriores videntur, ex. gr. Deum in nobis habitare, nos in Deo esse, vivere, moveri &c. nonnisi de variis Dei in regno Naturæ & Gratiæ operationibus intelligere, tantum igitur abest, ut hoc Systema sententiæ Cl. Viri patrocinetur, uti potius eandem destruat. Erit enim Deus a materia distinctus & a mundo. Materia est æterna. Sed Deus eam exornat, dirigit, movet, quæ ab opinione Spinozæ, prorsus abhorrent. Sed conclusio Cl. Viri plane alia est. Nimirum supponit, hanc animam mundi materiam esse subtilissimam, eandemque cum Rectore Universi & λογῳ efficere substantiam. Sed unde hoc probat Cl. Vir? Certe si anima mundi nonnisi potentiam Dei denotat, actum est de materia subtilissima. Si vero anima mundi nonnisi subtilissima materia est, e diametro pugnat cum systemate Suverænii. Imo argumentum Cl. Viri plus probat, quam probandum erat, & ideo nihil probat, probaret enim in Systemate Platonis plane nullas substantias

tias intelligentes locum habere posse. Materia enim, si ei credimus, ex essentia Dei expulsa fuit, anima mundi subtilissima est materia, eademque cum primo & secundo principio unicam conficit substantiam. Ergo omnia quæ existunt, nonnisi corpora erunt. Quæ sententia clarissimis testimoniis Veterum repugnat. Cl. Vir diversas sententias tanquam concessas & rite probatas adsumit, & inde argumentatur, neglectis testimoniis clarissimis, quæ hic quam maxime exhibenda essent. Probandum est, animam mundi nonnisi materiam subtilissimam, probandum primum & secundum principium, ab anima mundi non distinctum, probandum primum & secundum Platonis principium, nonnisi materiam esse subtilem; sed nolumus hisce diutius inhærere: Probabimus tantum *secundo loco* animam mundi ex mente Platonis substantiam esse a Deo diversam. Supra jam Sect. 13. adduximus clarissimum locum Timæi Locri, ex quo patet eandem Rectoris omnium rerum arbitrio subjectam & a Deo distinctam esse. Idem jam ex Platone ipso ostendemus. In Timæo pag. 478. ita loquitur Plato: ἐτος δη πας ὀντως ἀει λογισμος Θεε, περι τον ποτε ἐσομενον Θεον λογισθεις, λειον και ὁμαλον, πανταχη τε ἐκ μεσε ἰσον και ὁλον και τελεον

τελεον ἐκ τελεων σωματων, σωμα ἐποιησε. Ψυχην δε εἰς το μεσον αὐτα θεις, δια παντος δε ἐτεινε, και ἐτι ἐξω το σωμα αὐτη περιεκαλυψε &c. paucis interjectis. Δια παντα δη ταυτα, εὐδαιμονα Θεον αὐτον ἐγεννησατο. Την δε δη ψυχην, ἐκ ὡς νυν ὑστεραν ἐπιχειρεμεν λεγειν, ἐτως ἐμηχανησατο και ὁ Θεος νεωτεραν. Pag. 480. denuo similem in modum. Postquam, ait, secundum Creatoris illius mentem tota animæ constitutio absoluta fuit; mox omne corporeum intra ipsam effinxit, mediumque mediæ accommodans apto modulamine copulavit. At illa a medio per omne usque ad cœli extrema se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, seque in se ipsa convertens, ita sempiternæ sapientisque vitæ in universum tempus divinum dedit exordium. Et corpus quidem cæli spectabile factum est, anima vero oculorum effugit obtuitum, rationis & modulaminis compos ab auctore suo omnium, quæ semper sunt, & ad intelligentiam pertinent, optimo, ipsa quoque optima omnium, quæ genita sunt, effecta. Et postea hæc addit. Cum igitur hoc a se factum sempiternorum Deorum pulchrum simulacrum moveri & vivere Pater ille qui genuit,

anim-

animadverteret, delectatus eſt opere, & hac ductus lætitia opus ſuo multo etiam magis primo illi Exemplari ſimile reddere cogitavit. Ex quibus mea opinione ſatis apparet, animam illam mundi a Deo Autore omnium diverſam, Imperioque ejus ſubditam eſſe, nihilque aliud eſſe, quam vim quandam omnia vegetantem, Naturæ Plaſticæ, quam Cl. quidam Viri finxerunt, ſimilem, quamque eleganter deſcripſit Virgil. Æn. 6to. Sed (quod ultimo loco nos probaturos diximus) nec locus Plutarchi Cl. virum juvat. Plutarchus initio hujus diſſertationis verba Platonis de anima mundi & diverſa ejus commixtione adfert, addit interpretes in diverſa abire. Profert ſententias duorum præſtantiſſimorum Philoſophorum Xenocratis & Crantoris Solenſis, illum dixiſſe animum numerum eſſe ſe ipſum moventem, hunc animam miſceri e duabus naturis, quarum altera mente cernatur, alia opinabilis ſit, & ſenſibus inhærens: poſtquam mentem eorum clarius propoſuiſſet, ſequuntur verba citata à Cl. Viro. Sed ſtatim ipſe addit refutationem dicendo; Ἐμοι δε δοκεσι της Πλατωνος ἀμφοτεροι διαμαρτανειν δοξης ἐι κανονι τω πιθανω χρησεον, ἀκ ἰδια δογματα περαινοντας, ἀλλ' ἑκασ-

ἐκεινω τι βελομενος λεγειν ὁμολογεμενον.

i. e. Mihi ſi probabilitas pro regula judicandi ſit habenda, utrique videntur ab opinione Platonis aberaſſe; Si non propria placita concinnare ſed conſentientia Platonis ſententiæ dicere ſit propoſitum. In ſequentibus poſtea pluribus ſententiam ſuam proponit & tueri nititur, de qua quid ſentiendum ſit, nolumus hic differere, ſufficiat nobis, verba a Cl. viro citata a mente Plutarchi aliena eſſe. „Pergit Cl. Vir: Iterum „atque iterum moneo, Creationem Platonis „non eſſe creationem ex nihilo, ſed ad ſum„mum emanationem. In quo appoſite „nobis ſubveniunt, qui ideam a Dei intel„lectu non putant disjungi. Ita enim pri„mum & ſecundum principium coincidunt. „Idea vero nonniſi attributum ſupremi „principii erit: etſi Plato de ea tanquam „perſona ſeparata loquitur. Quocunque „Te convertas, trinitas ejus aut monſtrum „evadet, aut nominalis tantum trinitas di„cetur, fac enim ideam à primo Ente di„verſam, tum omnes ideæ reliquæ ab idea „& exemplo emanantes ſeparatim exiſtent: „quod Ariſtoteles objecit Magiſtro & ab„ſurditatem continet. Quod ſi autem „ideam ut attributum, exprimens ſapientiam

tlam Dei, mente depingas, non duo ſed „ unum principium habebis. Tantum du- „ bitatur ſit ne mundi anima a Deo & men- „ te diverſa? Ego non dubito, quin anima „ mundi ſit ὁμοσσιος Patri rerum omnium, „ vel ſit etiam alterum ejus attributum po- „ tentiam indicans. Si prius, mundus erit divi- „ nus aut tertius Deus. Sin poſterius, non „ terna habebis principia, ſed unum conne- „ xum cum materia, eique implicatum „ aut commiſtum. De mixtione ipſe Pla- „ to in Timæo verba facit: Ὁ δε γενεσει „ ait: και ἀρετη πρότεραν και πρεσβυτεραν „ ψυχην σωματος, ὡς δεσποτην και ἀρχεσαν „ ἀρχομενε, συνεζησατο, ἐκ των δε και τοιωδε „ τροπω. Της ἀμεριζε και ἀεὶ κατὰ ταυτα „ ἐχεσης ὐσιας, ἡ της ἀυ περι τα σωματα γιγνομε- „ νης μεριζης τριτον, ἐξ ἀμφοιν ἐν μεσω συνεκερα- „ σατο ὐσιας ἐιδος, της τε ταὐτε φυσεως ἀυ πεζι „ ἡ ἱης τε ἑτερε, και κατὰ ταὐτα ξυνεζησεν ἐν με- „ σω τε τε ἀμερες ἀυτων, και τε κατα τα σω- „ ματα μεριζε. Και τελα λαβων ἀυ τα ὀντα „ συνεκερασατο εἰς μιαν παντα ἰδεαν, την θατερε „ φυσιν συμικτον ὐσαν εἰς ταὐτο ξυναρμοττων „ ἑια. Ille vero & generatione & virtute „ priorem animam corpore, quaſi Domi- „ nam & imperaturam parenti conſtituit, „ ex his videlicet atque hoc modo. Ex „

„ ſub-

„ ſubſtantia individua & quæ ſemper eadem „ ratione ſe habet, & ea rurſus quæ in cor- „ poribus dividua eſt, tertiam ex ambabus „ mediam commiſcuit, ſubſtantiæ ſpeciem, „ quæ eſſet ejusdem naturæ & alterius: „ eamque ſic mediam conſtituit, inter eam „ illarum, quæ individua eſt & eam quæ „ in corporibus eſt dividua. Cumque tria „ ſumſiſſet quæ erant, omnia miſcuit in „ unam ſpeciem, ejus, quod alterum di- „ ximus, naturam vix miſcendam, cum „ eo, quod idem dicitur vi conjungens. Reſpondeo 1. materiam ex Deo emanaſſe ſecundum ſententiam Platonis hactenus equidem ſupponitur, ſed non probatur. 2. Utrum λογος, idea, aliquid ſit a Deo diſtincti, vel Deus ipſe, quatenus, uti moderni loquuntur, Deus vel ſic vel aliter cogitat, jam equidem definire nolim, ſtant ab utraque parte Viri Doctiſſimi; prius defendunt Ariſtoteles, Plutarchus, Philoponus, Plotinus, Petavius aliique: poſterius Proclus, Seneca, Cicero, Auguſtinus, Voſſius, Galeus, Sc. Agnellus &c. Supponamus autem cum Cl. Viro, ideam illam ſeu λογον nonniſi attributum Dei eſſe, nondum tamen vel monſtroſam, vel nominalem tantum eſſe perſpicimus. Supponamus Plato-

Platonem dixiſſe ideas rerum omnium eſſe in Deo & quidem a Deo ipſo, tanquam ſingulares quasdam ſubſtantias, diſtinctas; num adeo monſtroſa eſt hæc ſuppoſitio? Mea opinione ignoramus prorſus, quid ſint ideæ, nedum, uti quâ ratione in Deo eſſe poſſint, definire poſſimus. Forte illi, qui ideas nonniſi modificationes eſſentiæ Dei eſſe dicunt, non minoribus difficultatibus urgentur, quam illi, qui easdem immutabiles quasdam & â Deo ipſo diſtinctas ſubſtantias eſſe, defendunt. Saltem ego non intelligo, quomodo eſſentia divina modificari poſſit, uti idea arboris, piſcis, domus &c. oriatur. Quod ſi autem λογος ille, ſeu idea attributum Dei eſt, nondum tamen nominalis tantum eſt. Præſto enim eſt anima mundi, quam ob vim, quam in hoc univerſo exerit, Plato uti Θειον li conſideravit. 3. Clariſſimus Vir non dubitat, quin anima mundi ſit Patri rerum omnium ὁμοουσιος, vel alterum ejus attributum. Supra, eam eſſe ſubſtantiam Elemento Carteſii primo ſimillimam eſſe dixit, jam autem vel Rectori univerſi ὁμοουσιον eſſe ſtatuit, vel attributum tantum ejus, adeo, ut, cui ſententiæ album calculum adjiciat, ignorem. Sed ſit ita, intelligatur per animam mundi,

di, ſubſtantia Deo ὁμοσσιος, quid inde? tum mundus, inquit Cl. Vir, aut erit, tertius Deus aut divinus. Utrumque ſenſu Platonis dici poteſt. Mundum vocat in Timæo, ut ſupra adducta loca teſtantur: γεννητον Θεον, qui tamen a Deo ipſo Rectore omnium rerum diſtinctiſſimus eſt; quod ſi & anima mundi ὁμοσσιος Deo ſit, quis non videt Platonem eo ipſo a ſyſtemate Spinozæ longiſſime recedere. Divinus etiam mundus dici poteſt, quatenus materiam divina ſapientia in ordinem digeſſit Parens omnium rerum. Quod ſi ab altera parte ponamus, animam illam mundi attributum Dei eſſe, nondum ſequitur, Deum cum materia connexum aut commiſtum eſſe, niſi clariſſime, in quo illa commixtio conſiſtat, definiatur. Supra niſi fallor argumentis haud contemnendis oſtendimus, Deum cum materia ineluctabili quodam vinculo connexum haud eſſe, quod ſi igitur anima illa mundi ipſe Deus erit, ſequetur eandem cum materia minime connexam & copulatam haud eſſe. Provocat Cl. Vir ad locum Timæi, ſed qui revera non id probat, quod probandum erat. Probandum eſt, Animam, mundi eſſe ipſum Deum, eamque inſolubili vinculo

culo materiæ alligatam. Plato autem hic de anima mundi quidem loquitur ejusdemque cum materia copulatione : ſed eam ab univerſitatis rerum omnium Parente apertiſſime diſtinguit, quod Superioribus Sectionibus adductis locis probavimus; imo nullum veſtigium hìc adeſt, quo probari poſſit, animam mundi aut Deo ὁμοούσιον, aut Deum ipſum eſſe ; apertiſſime a mundo & Rectore omnium diſtinguitur illa anima & imperio Dei ſubjicitur. Præterea omnes, qui Platonis cogitata de anima illa mundi evolvunt, fatebuntur, adeo perplexa ea eſſe, ut, quid ſibi voluerit, explicatu, ſi non impoſſibile, ſaltem difficillimum ſit. Ex principio autem vel propoſitione obſcura, perſpicuæ argumentationes elici non poſſunt, hoc videmus, animam illam mundi ex corpore , mente & tertia quadam ſubſtantia contemperatam eſſe. Forſan quis cum Cicerone Epicurum refellente dicet, quid ſit mens, quid ſit corpus ſcio , quid autem compoſitum illud ex tribus illis nominatis, neſcio. Reſpondeo, quod ſimili occaſione Cl. Werenfelſius, æternum Helvetiæ noſtræ Decus repoſuit objicientibus, atomum vel corpus eſſe vel mentem, nimirum atomum nec mentem eſſe, nec

corpus, ſed atomum. Similiter ego dico, animam illam mundi Platonis, non corpus eſſe, non mentem, ſed animam mundi, id eſt, aliquid quod ipſe ignoravit. Præſtitiſſet, ſi de iis, quæ ignoravit, locutus non fuiſſet. Sed aptius erat illius ingenium ad figmenta cerebri proferenda, quam perſpicuâ ratiocinatione veritatem in lucem proferendam. Sufficit interim nobis animam illam mundi a Deo ipſo diſtinctam eſſe ex mente Platonis, cujus tamen contrarium hactenus ſuppoſuit Cl. Vir.

XVI. Cl. Vir pag. 18. & ſq. Cudworthum refellit, qui poſt Proclum duplicem animam mundi ſtatuerat. Ejus opinionem tueri nolo, quamvis, ſi veterum teſtimoniis probari poſſet exiſtentia duplicis illius animæ, non adeo in anguſtias conjectum putem Cudworthum, uti quidem exiſtimat Cl. Gundling. Pag. 19. manet in ea, quam tuendam ſuſcepit ſententia, nimirum animam mundi eſſe ipſum Deum, hunc autem, cum materia confuſum, mixtumque eſſe. Pluribus autem hoc refutare nolumus, partim, quod in antecedentibus ſatis hoc præſtitum, partim, quod nullis teſtimoniis Veterum munita ſit illa objectio. „Poſterius (verba ſunt Cl. Viri) infi-

ficias ire nemo poterit, qui Platonis Ti-„
mæum legit & mixturam obſervans ſimul„
deprehendit, eum arithmeticas neſcio„
quas rationes excogitaſſe; ſecundum quas„
individuum, dividuum, materia vel ve-„
re, vel per mentis præciſionem ſint per-„
mixta. Ex quo prona tandem conſe-„
quentia fluet, mundum eſſe Deum, quem„
a Platonicis & eorum Magiſtro tali ap-„
pellari nomine exploratum eſt. Audia-„
mus Ciceronem Lib. 1. de Nat. D. cap.„
XII. Jam de Platonis, ait, inconſtantia„
longum eſt dicere, qui in Timæo, Pa-„
trem hujus mundi nominari negat poſſe,„
in legum autem libris quid ſit omnino„
Deus, inquiri oportere non cenſet. Quod„
vero ſine corpore ullo Deum vult eſſe„
uti græci dicunt ἀσωματον: id quale eſſe„
poſſit intelligi non poteſt; careat enim„
ſenſu neceſſe eſt, careat prudentia, careat„
voluptate; quæ omnia una cum Deo-„
rum natione comprehendimus. Idem„
& in Timæo dicit & in legibus & mun-„
dum Deum eſſe, & cœlum & aſtra &„
terram & animos & eos quos majorum„
inſtitutis accepimus: quæ & per ſe ſunt„
falſa perſpicue & inter ſe ſe vehementer„
pugnant. Diligentiſſime evolvi Timæum

Platonis nec ſemel, interim tamen eam, quam Platoni adſcribit Cl. Vir ſententiam, inibi detegere non potui, voluiſſem adeo, ut quem locum indigitare vellet, monuiſſet. Obſervavi quidem animam mundi cum dividuo & individuo mire eſſe commixtam, ſed præterquam quod Cl. Vir lubens fateatur, ſe verba, ſeu ſenſum Platonis non rite perſpicere, ſermo ibi eſt de anima mundi, quam a Deo diſtinctiſſimam, imo Dei Imperio ſubjectam, ſupra jam probavi. Mirum autem eſt Cl. Virum provocare ad Ciceronem Summum Platonis æſtimatorem. Minime loco citato loquitur Cicero, ſed Vellejus Epicuræus, cujus judicio ſi ſtandum ſit, Socrates etiam Incomparabilis Vir ejusdem erroris reus eſt. Vide Sect. 31. hujus libri I. D. N. D. imo potius objectiones Velleji ad defenſionem Platonis faciunt. Audi eum Sect. 18. & ſq. ita deblatterantem. Audite, inquit, non cõmentitias futilesque ſententias, non Opificem Ædificatoremque mundi Platonis de Timæo Deum: nec anum vatidicam, Stoicorum προνοιαν, quam latine licet Providentiam dicere, neque vero mundum ipſum animo & ſenſibus præditum, rotundum ardentem volubilem Deum, portenta

& mi-

& miracula non differentium Philosophorum, sed somniantium. Quibus enim oculis intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua constrúi a Deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes? quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? quemadmodum autem obedire & parêre voluntati Architecti aër, ignis, aqua, terra, potuerunt? Unde vero ortæ illæ quinque formæ, ex quibus reliquæ formantur apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosque sensus? longum est iter ad omnia, quæ talia sunt, ut optata magis, quam inventa, videantur. Ita Vellejus, cujus & sequentia legi possunt. Quis non inde videt, revera Platonem & Summum Mundi Rectorem agnovisse, & ineptissimas simul esse objectiones discipuli illius Epicuri? Non igitur necesse est, uti de commentario Cl. Viri in verba Velleji solliciti simus, quo sensu Deum ἀνάσιον esse dixerit, monuit dudum Cl. Wolfius in Manich. ante Manich. Curiosius non inquiri debere ejus naturam, recte dixit, cum nihil tam præclare de Deo dici possit, quin longissime adhuc ab excellentissima ejus natura remotum sit. In Sophista pag. 163. dixit? Τα της των πολλων ψυχης ὁμματα καρτερειν

προς το Θειαν ἀφορωντα ἀδυνατα, vulgarium animarum (addere debuiſſet ſapientiſſimarum quoque & ſubtiliſſimarum) oculi divinitatis radios ſuſtinere non poſſunt. Cæterum non negamus, Patres primitivæ Eccleſiæ recte inconſtantiam Platonis reprehendiſſe, qui meliora edoctus, id tamen quod publice receptum eſſet, religionis normam eſſe debere ſtatuit. In quo ſane Religionis Chriſtianæ Profeſſorum Excellentiam obſervamus. Illi enim nec hoſtium minis, nec tormentorum æſtu, nec ſacrificulorum fraudibus a veritate ſtrenue docenda & propaganda, ſe abſterreri patiebantur.

„ Quod Platonis hypotheſi (ita pergit „pag. 21. Cl. Vir) decus conciliavit, illud „eſt, quod de Deo & anima mundi veluti „diſtinctis Perſonis loquitur. Eo ſermo„ne multos decepit, ut animam mundi „ipſumque mundum genitos & ſupremi „Dei opificia crederent. Ipſe J. Thoma„ſius, Vir alias longe doctiſſimus in has in„ſidias incidit. Sed potuiſſet is credo olfa„cere, occultari his ſub involucris non„nihil monſtri. Neque eſt fere quisquam, „qui ideam, quam Plato ſub peculiari hy„poſtaſi ſiſtit, tanquam diſtinctam a ſu-

premo

premo Deo contueatur. Quod de idea „ verum eſt, etiam de mundi anima verum „ eſſe poteſt: imprimis ſi voces colligare „ generare, facere, ita interpretemur, ut „ non tam creationem ex nihilo, quod for- „ te plerique largientur, quam emanatio- „ nem & continuam quaſi atque imma- nentem elaborationem indicent.„ Ad hæc ſequentia obſervo. Primum eſt, decus Platonicæ philoſophiæ olim con- ciliaſſe doctrinam de trinitate, quam anti- qui Chriſtianæ Religionis Profeſſores, qui- busvis fidiculis ad ſtabiliendum dogma de SS. Trinitate pertrahere voluere. Sed & magni eam fecerunt Viri Graviſſimi, Cice- ro, Plutarchus aliique magno numero. Quanti eam fecerit Illuſtris Leibnizius, æternum literati Orbis Ornamentum, paſ- ſim ex opuſculis ejus præſertim Epiſtola ad doctiſſimum Hanſchium data patet. Quam- vis enim in illa multa ſint μετεωρα, errores, figmenta multa, tamen etiam lectu longe digniſſima. Fatemur interim nimios Pla- nis æſtimatores, nobis quam maxime di- ſplicere. Vix ſine riſu aut indignatione le- gi poſſunt verba, Viri haud indocti, A. Da- cerii quæ pag. 190. de doctrina Platonis protulit, dicens: *Reconnoiſſons que Platon n'a pas ſeulement vû tout ce que la Raiſon*

naturelle a pû decouvrir de Dieu a un Philoſophe, mais qu'il a ete eclairé par une Raiſon ſur naturelle. Comme il avoit eté inſtruit dans les livres des Hebreux, dans ceux des Prophetes, & dans les traditions des Egyptiens, il s'eſt trouvé favorablement diſpoſé a recevoir les ſemences de ces verités eternelles & il a eté aidé par la Grace, puisque S. Auguſtin aſſure que Jeſus Chriſt les luy avoit revelées. Jacobum Thomaſium (quod ſecundo loco obſervo) Virum ſine controverſia hiſtoriæ philoſophicæ peritiſſimum, falſum eſſe in explicanda doctrina Platonis circa ea quæ hîc monet Cl. Vir, nondum argumentis probatum eſſe perſpexi; adfert ille clariſſima loca, quibus probatur, Deum a materia diſtinctum, liberrime tamen ad eam exornandam ſe ſe accinxiſſe. Hæc loca, quâ ratione ſubverti, aut in alium ſenſum trahi poſſint, minime video. Mera Cl. Viri ſuppoſitio eſt, materiam ex Deo emanaſſe, tria illa principia Platonis nonniſi abſtractione quadam mentis diſtincta eſſe, & denique Deum cum mundo ipſo confuſum & commixtum. Unde ergo fraudem olfacere potuerit Thomaſius, ignoro. 3. Paucos eſſe, qui ideam illam Dei, pro principio a Deo diſtincto habeant, falſum eſſe exem-

exemplorum inductione probavi, nec ſane nullis illi argumentis nituntur, quod Tu, Eruditiſſime Brukere, in hiſtoria philoſoph. de ideis abunde oſtendiſti. Sed concedamus Cl. Viro, ideam illam ab ipſo Deo non eſſe diſtinctam, num inde ſequitur, ergo nec animam mundi a Deo diſtinctam? quod de idea verum eſt, inquit Cl. Vir, etiam de mundi anima verum eſſe poteſt; ſed a poſſe ad eſſe, uti in ſcholis loquimur, nullam eſſe conſequentiam, me non monente, pulchre novit doctiſſimus Vir. Denique quod phraſes quasdam Platonis attinet, dudum monuit Vir ſummus J. Clericus Artis Crit. P. II. Sect. I. cap. XV. paſſim in Timæo Platonis confundi voces γεννησαι, ποιησαι, τελειωσθαι, μηχανεσαι, δημιεργησαι, ἀπεργαζειν &c. adeo ut vi phraſium potius creationem e nihilo inde eliceremus, quam emanationem ex eſſentia Dei, niſi clariſſima argumenta & teſtimonia confirmarent, Platonem materiam æternam credidiſſe. Ratiocinandum ergo eſt non ex hac vel illa phraſi ſeorſim ſumta, ſed totius ratiocinationis nexu & univerſa facie philoſophiæ Platonicæ.

Pag. 22. Cl. Auctor nihil aliud agit, quam ut oſtendat poſitâ emanatione ma-

teriæ ex Deo, ſummas oriri difficultates. Quod minime negamus, tantum adſtruimus, argumentis & teſtimoniis probari haud poſſe, eam omnium rerum a Deo emanationem, in Syſtemate Platonis locum habere. Pergit tamen pag. 23. „Unde „elucet quoque, ait, non eſſe adeo abſurdam „Plutarchi opinationem, qui materiæ pe„culiarem animam adſcripſit: Utut J. Ch. „Wolfius in Manich. ante Manich. confu„tare Plutarchum ſatagit. Primum falſum, „quod pace Eruditiſſimi Viri dixerim, in „eo latet, quod materiam Platonis per ſe „conſiſtere credit: cum tamen, uti demon„ſtratum eſt, ex ipſo Deo profluxerit. Jam „vero quod ſemel divinum eſt, divinum „manet. In Deo Platonis Vis actuoſa eſt: „hæc ab eo ſeparari nequit. Quo ipſo „concidit idea, quam finxit Profeſſor Cl. „quaſi materiam in ſe actuoſam crediderit, „uti quidam recentiores contendunt. Ne„que enim neceſſe eſt, ut eo ſe ſe recipiat. „Retulit illa actuoſum ejus generis prin„cipum e Sinu Parentis. Cui non obeſt, „conſequi hac ratione, ut contrarias inde „facultates retuliſſe, vel accepiſſe dicenda „ſit: eſt enim id familiare Atheis, ut con„traria & repugnantia admittant. Cl. Wol-

Wolfium asserentem materiam ex mente Platonis ab æterno per se subsistitisse, falsum esse, nullo argumento probat Cl. Vir. Attulit ille clarissima loca, quibus firmiter illa sententia probetur, recte quin etiam meâ opinione refutavit Plutarchum adserentem Platonem animam quandam statuisse, quæ materiam, antequam Deus manus operi admoveret, agitaret; neque enim hæc opinio, vel testimoniis, vel principiis Platonis nititur. Plutarchus concipere non potuit, qua ratione sine causa externa, materia illa vario & confuso motu agitari potuerit, unde statim concluſit, Platonem causam externam, animam quandam ei adsignasse. Sed infirma est hæc argumentandi ratio. Plato sibi non constitisset, si animam turbulentæ hujus agitationis causam non supposuisset. Ergo supposuit. Qui enim materiam per se æternam statuere potuit, etiam principium aliquod motus eidem adscribere potuit. E contra recte Cl. Wolfius, mentem Platonis interpretatus est. Materia, antequam Deus eam in ordinem redigeret, ex mente Platonis confuse mota fuit, nec tamen ex ullo simul loco patet, eundem causam hujus motus, mundi exornationem antecedentis,

tis, animam dixiſſe. Unde neceſſario, Cl. Wolfius concludere debuit, Platonem credidiſſe materiam vi quâdam ſe movendi præditam eſſe; nihil igitur adfinxit Platoni, teſtimoniis tantum nititur, quibus in explicatione Veterum inſiſtendum eſt. At, inquit Cl. Gundling, in Deo Vis actuoſa eſt. Hæc intelligit Cl. Vir ex mente Spinozæ, cujus addictum fuiſſe opinioni Platonem exiſtimat. Sed hoc ſupponit materiam ex Deo emanaſſe, Deumque Platonis conſtare ex materia quadam ſubtiliſſima, quæ aſſertiones uti ſupra probavimus, clariſſimis Veterum teſtimoniis de Philoſophia Platonis repugnant.

XVII. „ Quicquid Wolfius (inquit Cl. „ Vir) ex Ariſtoclis Meſſenii apud Euſebium „ ſententia in medium fert, oſtendit ſo„ lum Virum Cl. Platonis Deum pro cau„ ſa mundi externa ad modum Chriſtiano„ rum habuiſſe; utut ipſe alias ex Winde„ to hoc Grotii παρεργημα detexit. Sane non unum teſtimonium apud Euſebium extat, quod Cl. Wolffii opinionem ſtabilit, ad quæ tamen cur Cl. Vir attendere nolit cauſam non video. Nec Cl. Wolfius Platonem ex mente Chriſtianorum explicandum adſerit, Deum tanquam cauſam exter-

nam.

nam & liberrimam, ad exornandam materiam acceſiſſe ; apertiſſime enim ubique teſtatur, Platonem credidiſſe materiæ per ſe ſubſiſtentis æternitatem, quod minime Chriſtiani profitentur. Id non ſtringit, impoſuiſſe Platonis Opificem ſeu Δημιεργον id muneris animæ ſuæ, ut pervagaretur mundum : & eam vero derivari e mente, ac quod obſervandum probe, a mente nihilominus & Deo diſtingui. Ego etenim, ut ingenue, quod res eſt, fatear, non capio diſtinctionem : ſolum vocabulum percipio : nonniſi ſonos cum Gaſſendo audio. Nihil me Proclus moratur ; nihil teſtimonia undiquaque conquiſita. Habeo ſegetem teſtimoniorum in contrarium euntium, quibus tamen non reor utendum, ratiocinatione opus hic eſt. Adfirmas enim Cl. Wolfi, animam mundi derivari a mente, mentem a Deo, prorſus ac Macrobius mentem Philoſophi explicat. Quid derivatur quæſo ? Deus a Deo, divinum a Divino. An dividitur Deus ? Sic erit extenſus, partibilis : ſic plures Dii ſunt coorti : ita aſtra cœlum, mundus Dii vocantur : quamvis ſecundi, ſtilo tuo, geniti, ſubordinati. Subordinatio vero illa nihil veri continet, ſed uti

in

„in mente duntaxat Platonis, ita in tua eſt. „Nec vinces etſi diſtinctionem, quam ſemel „mente depinxiſti retines. Ratum enim „exiſtimamus fixumque, id quod ſemel „Deus fuit, manere Deum. Ad hæc ſequentia repono. 1. Certum eſt, recentiores Platonicos adſeruiſſe animam mundi ex mente Platonis a mente, mentem a Deo eſſe. Sed evidentibus locis e Platone deſumtis id conſtare, nondum obſervare potui. Dicit quidem, animam illam antiquiorem mundo, ſed emanaſſe e mente, non adeo perſpicuum eſt. 2. Non adeo quæritur, utrum Cl. Vir emanationem illam perſpicue intelligat, ſed utrum Plato eandem crediderit, & utrum poſita hac emanatione ſequatur, Platonem Atheum fuiſſe. 3. Si Cl. Vir in promtu habet tot teſtimonia, quibus ſententia Cl. Wolfii convellitur, meâ opinione bene feciſſet, ſi ea protuliſſet, niſi enim ratiocinationes de veterum cogitatis teſtimoniis roboratæ ſunt, vanæ ſunt. Quod ſi tamen teſtimonia adſunt, quibus ſententia Cl. Viri confirmatur, tota controverſia de Atheiſmo Platonis λογομαχια erit, & ſequetur, nos ignorare, omnes, quid Plato ſenſerit. 4. Supponamus autem, Platonem credidiſſe animam mun-

mundi a mente, mentem a Deo esse: Probavimus supra, Deum ex sententia Platonis perfectissimam mentem esse, eundemque Imperium aliquod in animam mundi habere, præterea Deum ad ideam perfectissimam tanquam exemplar aliquod mundum condidisse. Erit igitur Deus non solum a mundo, sed & mente, & anima mundi distinctus, quod cum Spinozæ sententia pugnat: erit illa sententia adeoque erronea, sed non adeo periculosa. At emanationis modu Cl. Viro displicet, displicet & nobis. Sed quis tamen probare poterit, in Deo perfectissimo non posse esse substantias quasdam intelligentes Deo minores, nec tamen ad perfectissimam Dei essentiam pertinentes? num essentiam Dei ejusque naturam adæquate novimus? Cl. & Eruditissimus Clericus ajebat, Deum esse Ens, quod omnium rerum proprietates & corporum, & spirituum, & forte mille aliarum substantiarum, quæ nos latent, in se comprehenderet, ob quam definitionem Cartesii sequaces acerbe eum perstrinxerunt. Sed qui rite omnia perpendit, qui norit quam debilis sit nostra de rerum intima essentia, cognitio, ille nemini insultabit. Revera balbutimus tantum de natura Dei,

& quid

& quid dicam de natura Dei, disputamus de natura mentis nostræ & ad finem seculorum disputabimus de ejus naturâ, quid mirum ergo, si abyssum perfectionum divinarum ignoramus, si nescimus quâ ratione res in Deo esse, nec tamen ad Essentiam ejus pertinere possint. Forsan dicet Cl. Vir, hîc non de natura Dei disputari, sed quæri, quâ ratione imperfectius quid, quale anima mundi ex Deo emanare possit. Quid si concedamus, non minus Platonem, quam nos ignorare, num igitur jam probatum est, animam mundi esse partem Dei? minime crediderim. Probandum est, Deum in infinita sua essentia nihil complecti posse quam quod ad essentiam ejus necessario pertineat. Quis scit, utrum Deus ab æterno voluerit, ut simul in se, modo nobis homuncionibus imperveſtigabili existant substantiæ quædam intelligentes, demum suo tempore ex Deo, non quidem uti partes Dei, emanantes, quibus tamen emissis Deus non minus perfectus esset, quam antea? Comuniter Philosophi omnium rerum ideas in Deo esse ajunt, eas esse æternas & immutabiles, sed tamen modernorum judicio, ab ipso Deo non distinctas. Continebit igitur Deus in se aliquid quod ad perfectissimam ejus Essentiam aliquatenus

quatenus non pertinet. Deus quidem perfectiſſime cogitat, agit; Sed ſi ideæ illæ ſunt aliquid, non nihil, cogitatio Dei quatenus rem imperfectam refert v. gr. triangulum, eo ipſo neceſſario ad Eſſentiam Dei non pertinebit. Quis enim dicet, Deum æque neceſſario ab æterno de hujus vel illius atomi productione cogitaſſe, ac ipſemet æternus eſt, & naturæ ſuæ neceſſitate exiſtit. Si ideæ illæ ſunt immediatum contemplationis Dei objectum, in Deo quidem non exiſtentes, Deo tamen tanquam mundus aliquis intelligibilis, conjunctæ, haud facile concipere poſſumus & quid ſint, & quomodo æternæ eſſe poſſint, nec tamen ad Eſſentiam Dei pertinere. Sed juvat exemplo aliquo, quod propius ad rem pertinet, rem illuſtrare. Nos Chriſtiani credimus S. S. Trinitatem nec nominalem, ſed quæ aliquid diſtinctum involvat; dicimus filium eſſe a Patre ab æterno, & cum eo, S. Sanctum procedere ab utroque, æque tamen æternum & perfectiſſimum eſſe, quis autem modum hujus diſtinctionis explicet? Verbo. Quamcunque in partem ſe convertat Cl. Vir, vix, probare poterit, Emanationem alicujus intelligentis ſubſtantiæ ex Deo, diſtractionem infinitæ Dei naturæ

turæ inferre. Oportet perſpicuam & adæquatam naturæ Dei definitionem exhibeat, & demum hoc præſtito de emanationis illius ratione rite differi poteſt. Quod ſi autem Cl. Vir adſerat, animam illam mundi a mente ortam, Elemento Carteſii ſubtiliſſimi ſimilem eſſe, adeoque corpus ex corpore ortum videri, provocabo ad omnia illa, quæ ſuperius de natura corporis ex mente Platonis, de Deo item Sapientiſſimo conditore univerſi &c. diximus. Hiſce in genere notatis reſpondebo Cl. Wolfii nomine ad quæſtiones propoſitas. Quid derivatur quæſo, quærit Cl. Vir; derivatur anima mundi eſſentia quædam intelligibilis a mente, & mens illa a Deo Rectore omnium rerum, divinum quid a Deo, ſed non ut pars a toto, modum autem ignoro, quia Dei natura non intime mihi perſpecta eſt. An dividitur Deus? minime inquam, Deus ex mente Platonis non corpus, non diviſibile quid & quod partes habeat, ſed mens illa ſive idea, orta eſt a Deo, emanavit ex infinita Dei eſſentia, cujus infiniti cum ego capax non ſim, creatura arctiſſimis limitibus circumſcripta, modum determinare non poſſum, neque tamen eam impoſſibilem adſerere. Puram putam autem men-

tis

tis esse præcisionem hanc emanationis Platoni adsertæ rationem, credere vetant Veterum testimonia, quibus in explicatione Systematum philosophicorum unice insisto. Et ego operam do, ut distincte res concipiam, sed hic nec concipi posse satis illam rem & agnosco & profiteor. Disputare nolo, uti vincam tantum & semel arreptam distinctionem tuear, puerorum hoc est, non Virorum. Sed distinctionem aliquam dari graduum perfectionis in tribus principiis, quæ posuit Plato, negare non possum, licet non satis intelligam illam. Non intelligo, quomodo ex atomo vel monade oriatur extensio, scio tamen aliunde, revera inde materiam componi. Ratum & ego habeo, Deum semper manere Eundem, id est, perfectissimum, licet aliquid ex infinita Dei Essentia emanet. Causam aliquam externam Deum nempe ad materiam exornandam concurrisse, ex mente Platonis statuo, licet simul ab eodem mentem, a mente animam mundi, postea producto mundo materiæ infusam & diversimode temperatam emanasse credam. Ita ego Cl. Viro responderem, quamvis non dubitem, Eruditissimum Wolfium & majori luce, & argumentorum

pondere, ſiquidem calamum adripere voluiſſet, reſponſurum fuiſſe. Sed ſi deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.

XVIII. Cl. Vir pag. 25. non eos tantum Atheos eſſe dicit, qui emanationem omnium rerum a Deo neceſſariam ſtatuunt, ſed & qui materiæ æternitatem defendunt. Profert dein teſtimonia Virorum ſine controverſia Doctiſſimorum, Baylii & Basnagii, aſſerentium, omnes, qui æternitatem materiæ defendunt, ſummis difficultatibus premi; ſpeciminis loco adfert quasdam a Baylio in medium prolatas, unde concludit, Platonem non materiæ æternitatem, ſeu duo æterna rerum principia, ſed emanationem omnium rerum ex Deo ſtatuiſſe, atque adeo Spinozæ opinioni addictum fuiſſe. Deum tollere omnes, qui materiæ æternitatem adſerunt, licet Rectorem Univerſi agnoſcant, qui rebus omnibus proſpiciat, Cl. Viro probandum incumbit. Ab altera parte concedimus, eum, qui omnia ex neceſſitate infinitæ naturæ neceſſario orta eſſe putat, omnem religionem ſubvertere. Sed huic opinioni addictum fuiſſe Platonem, iis argumentis non probavit Cl. Gundling, quæ me in adſenſum pertrahere poſſent. Minime probare poſſum Concluſionem Cl. Viri

Viri jamjam adductam, nimirum, opinio de duobus æternis principiis multis difficultatibus obſepta eſt, ergo Plato minime hoc Syſtema defendit, ſed emanationem omnium rerum ex Deo. Minime tuta eſt hæc ratiocinandi methodus ; hæc vel illa ſententia abſurda eſt ,'ergo , neglectis etiam apertiſſimis teſtimoniis, negandum eſt, Virum Eruditum, eam credidiſſe. Quot enim quæſo abſurdas & ſumis difficultatibus obnoxias hypotheſes, veteres pariter ac moderni literarum cultores non profeſſi tantum ſunt, ſed & acriter propugnarunt? Quot ſunt Viri haud indocti in Eccleſia R. qui credunt, ſaltem ſe credere ajunt, ridiculum illud & monſtroſum Tranſubſtantiationis dogma, ut de aliis nil dicam? Potuit igitur etiam Plato duo rerum principia ſtatuere, licet hæc ſententia multis obnoxia ſit dubiis. Ipſe Cl. Vir emanationem omnium rerum ex Deo, non minoribus difficultatibus premi, affirmat, quid ergo neceſſe eſt, uti ad eam ſententiam amplexandam ſe converteret Plato ? Si veterum teſtimoniis neglectis, ad nutum noſtrum philoſophiam Platonis interpretari velimus, haud ſine veri ſpecie Creationem ex nihilo eum credidiſſe probari poſſet. Sed ab

æternis veritatis legibus recedendum non eſt. Nec etiam propter difficultates quasdam ſententia argumentis ſolidis ſuperſtructa deſerenda eſt. Credimus nos, Deum mundum ex nihilo feciſſe, & recte quidem. Si vero hanc ſententiam noſtram perpendimus, multa ſunt, quæ hîc negotium faceſſunt, turbant nos innumera mala, quibus orbis quaſi inundatus eſt, quæ magno Eruditionis ſane minime neceſſariæ apparatu urſit Eloquentiſſimus P. Baylius. Si ad Deum ipſum nos convertimus, haud perſpicue videre poſſumus, quâ ratione Ens perfectiſſime cogitans ſola voluntate ingentem illam, & infinitam materiæ maſſam producere potuerit; incidit illud Spinozæ, quæ res ſecum invicem nil commune habent, in ſe invicem agere non poſſunt &c. Sed nec ideo ſententiam illam evidentiſſimis argumentis roboratam deſerimus. Putamus enim, & quidem ſumma cum ratione, Syſtema invictis demonſtrationibus innixum, ſed difficultatibus quibusdam, quæ ex ingenii noſtri imbecillitate oriuntur, preſſum, conſtanter eſſe tuendum. Ita ſimiliter Plato credere potuit, ſententiam de duobus æternis principiis, multis obnoxiam dubiis, alii tamen, cum meliora non occurrerent,

rerent, præferendam. Forte non omnes conſequentiarum apices vidit, forte in multis mentem ejus haud rite intelligimus. Verbo, Syſtema duorum æternorum principiorum multis erroribus ſcatet, ſed apertum tamen Atheismum haud involvit.

XIX. Tandem Cl. Vir ad Atheiſmum Platonis comprobandum, argumentum petit a fine mundi p. 28. Negabat, inquit „ Plato, ſubrui a Deo tam pulchrum & af- „ fabre expictum Opus: placere id omnium „ Parenti, & hinc ut ſubſiſtat, velle. Tan- „ tum id credibile non ſit, quod J. Tho- „ maſius conjectat, id Deum Platonis li- „ berrime facere. Neque enim hoc e prin- „ cipiis, Philoſophi ſequitur. Ut ille mun- „ dum neceſſario e Dei fœcunditate, quod „ oſtendimus, ſtatuit permanaſſe, ita etiam „ neceſſario, ut ut volente Deo, perdurat „ atque hanc formam ſervat, uti mundus „ Spinozæ. Locus Platonis decantatus eſt at- „ que clariſſimus in Timæo. Θεοι Θεων ὡν Ἐγω „ Δημιεργος πατηρ τε Ἐργων ἁ δι Ἐμε γενομενα „ ἀλυτα ἐμεγε θελοντος. Dii orti ex Diis, „ quorum Opifex ego & Pater ſum, hæc at- „ tendite. Operum ea, quæ a me profe- „ cta ſunt, inſolubilia ſunt, me volente. „ Quæ verba ſatis declarant, Opera Dei „

„ perinde videri immortalia, uti ſunt orti ex „ Deo Dii immortales. Hoc vult ille. Sed „ voculæ Ἐμμενε θελοντας non ſignificant li- „ bertatem, ſed perſeverationem neceſſā- „ riam. Qui conclavi incluſus eſt, vult „ quoque in eo manere, etſi libertas exe- „ undi deficiat. Sed deficit vero hic li- „ bertas abeundi; quia alias forma Deo „ deamata peritura foret, atque anima „ mundi neceſſario emanans, retrahenda „ eſſet ad Deum. Quibus planum fit, re- „ cte Laertium inter δοξας Platonis retu- „ liſſe ἀφθαρτον διαμενειν τον κοσμον, δια το μη „ διαλυεσθαι εἰς θεον. Cæteras interpreta- „ tiones curo ſcilicet, quia cum Platonis „ doctrinis reliquis non cohærent. Quic- „ quid is de corruptione mundi naturali „ loquitur, iterum ad mentis præciſionem „ pertinet. Tota ergo controverſia huc redit, an mundus inſolubili quodam vinculo ita cum Deo Platonis conjunctus ſit, ut mundus non poſſit non perpetuo exiſtere, vel utram mundus ille, ut liberrime a Deo conditus, ita & eodem volente duraturus ſit. Prius Cl. Vir, poſterius nos defendimus. Ratiocinatur autem partim ex principiis ſuprà poſitis, partim teſtimoniis. Principium Cl. Viri ex quo ratiocinatur eſt, omnia ex Deo emanaſſe, mundumque cum Deo, ex

mente

mente Platonis, unam eandemque ſubſtantiam abſolvere, quo poſito ſine dubio mundus æternus eſſet. Niſi fallor, ſupra ſatis oſtendimus, emanationem illam materiæ ex Deo, & neceſſariam ejus cum Deo conjunctionem, fruſtra Platoni adſcribi. Superiora igitur non repetam, ſed teſtimonia a Cl. Viro allata examinabo, aliisque ad ſtabiliendam ſententiam meam, confirmabo. Pagina 708. Timæi, cauſa productionis rerum omnium ſola ſtatuitur bonitas non neceſſitas. Dicamus, inquit Plato, quam ob cauſam ille rerum Auctor generationem & hoc univerſum conſtituit. Bonus erat. Bonus autem nulla unquam aliqua de re invidia tangitur. Et paulo poſt. Si quis hanc gignendi mundi cauſam præcipuam a prudentibus viris acceperit, rectiſſime profecto accipiet. Ibid. pag. 709. mundi corpus nequit, diſſolvi ullo modo, niſi ab eo, a quo eſt colligatum. Verba ad quæ Cl. Vir provocat, jam adduxi Sect. IV. p. 846. In quo loco obſervetur, primo appellatio Dei Θεος Θεων, Δημιυργος. 2. Omnia quæ condita ſunt ſolubilia eſſe, ſed Deo volente non diſſolvi. 3. Deum ideo non diſſolvere, quod Deo minus conveniret, id quod pulcherrimum fecit, diſſolvere. In

Syſtemate Spinozæ hæc omnia locum habere non poſſunt, nullus hic eſt liber Δημιεργος. Sed ut omnia ex infinita Dei natura orta ſunt, ita etiam non poſſunt non manere. Hinc maxime contorta eſt interpretatio verborum Ἐμὲ θεοντος. Unde enim neceſſitas illa repetenda eſt? bonitate ſola motus rerum pulcherrimarum Syſtema efformavit, voluntas, non bruta quædam neceſſitas cauſa perdurationis mundi dicitur. Similitudo Cl. Viri allata litem lite reſolvit; ubi enim adſeritur, Deum mundo incluſum eſſe? Qui conclavi exire non poteſt, licet vellet, improprie manere velle, dicendus eſt. Vult, quia non poteſt, vult, ſed non libere, ſed coacte. At ſecundum Platonem Deus libere ad mundum producendum ſe accinxit, mundus in ſe conſideratus ſolvi poteſt, vult autem eum Deus propter pulchritudinem non diſſolvere, aliud è verbis Platonis & totius Syſtematis nexu elici non poteſt. Deficit, inquit Cl. Vir, libertas, quia forma deamata peritura eſſet, ſed hæc verba nihil aliud ſignificant, quam nolle Deum ob pulchritudinem libere conditum mundum deſtruere; num autem, ille qui ob pulchritudinem operis, verbi gratiâ Poema aliquod elegantiſſime com-

compositum delere non vult, num ille necessitate quadam compulsus, hoc feciſſe dicendus est? ipsæ illæ rationes a pulchro desumtæ, sapientiam aliquam, minime inluctabilem aliquam & ferream necessitatem innuunt. Nec altera ratio Cl. Viri magis quadrat, nimirum Deum non destruere velle mundum, ne anima mundi retrahenda esset ad Deum: nullum enim plane vestigium hujus interpretationis est, sed mera suppositione nititur, quam satis supra refutavimus. Et quomodo tandem anima mundi retrahi posset, si illa cum mundo unicam efficit substantiam? quis ille retrahens, num Deus? sed Deus idem cum mundo, si Cl. Viro credimus; quo retrahitur tandem, si Deus cum mundo insolubili nexu cohæret? mera etiam suppositione nituntur, quæ Cl. Vir de mundo ait, nimirum eum perinde esse immortalem, uti sunt Orti ex Deo Dii immortales, tacite supponens Deos illos, seu Dæmones, & astra ex necessitate naturæ Dei emanasse, atque adeo eodem modo, mundum non posse non manere. Hæc apertissimis Platonis verbis contraria sunt, ait enim eadem pag. 713. in Timæo. Postquam orti sunt omnes, & qui cœlo volvuntur Dii, nostris oculis mani-

manifesti & qui eatenus nobis conspicui fiunt, quatenus ipsi volunt, tum ad eos mundi genitor ita fatur: Dii Deorum &c. & paucis interjectis. Quapropter quia generati estis immortales quidem & indissolubiles omnino non estis. Nec tamen unquam dissolvemini, nec mortis fatum subibitis, Nam voluntas mea majus, præstantiusque vobis est vinculum, ad vitæ custodiam, quam nexus illi, quibus estis, tunc cum gignebamini, colligati. Patet ex verbis illis, Dæmones & astra quæ dii dicuntur, dici mortalia & solubilia in se considerata, minime ex essentia Dei propulsa, ergo similiter mundus in se consideratus solubilis est, sed manet ita Volente Deo. Repetitur igitur causa hujus rei, non ex necessitate naturæ Dei, sed libera ejus voluntate. Nec moratur nos testimonium Laertii, quem lapsum fuisse, & contra mentem Platonis locutum dudum demonstravit J. Thomasius dissert. 3. de Exust. mundi Stoicâ pag. 48. sq. qui prolixe locum Platonis vindicat, cujus rationes ita mea opinione comparatæ sunt, ut a Cl. Viro infringi haud possint, ad eum igitur Lectorem amandamus. Duos tantum testes adferam, qui hac in parte, Laertium facile superabunt, prior

est

est Timæus Locrus, posterior Plutarchus. Ille pag. 546. ita ait Ed. Gale : δηλεομενος ὢν ἄριςον γενναμα ποιηειν, τȣτον ἐποιει Θεον γεννατον, ȣ̓ ποκα φθαρησομενον ὑπ' ἄλλω ἀιτιω, ἐξω τω ἀυτον συντεζαγμενω Θεω, ἐι ποκα δηλετο ἀυτον διαλυειν. Hic autem de Placitis philosoph. L. 2 cap. 4. Πυθαγορας και Πλατων γεννητον ὑπο Θεȣ τον κοσμον, και φθαρτον μεν ἐπι τη Φυσει, ἀισθητον γαρ εἰναι δια το σωματικον, ȣ̓ μην φθαρησομενον γε προνοια και συνοχη Θεȣ. Locum M. Felicis, quem adduxit Cl. Thomasius, vindicare nolo, cum simplice negatione opus sit, nonnisi præcisionem mentis in verbis Felicis quærendam. Cætera, quæ Cl. Auctor de emanatione omnium rerum ex Deo denuo repetit, refellere nolumus, cum abunde in superioribus factum sit. Concludit tandem dissertationem dicendo. Meâ sententia „ nihil in Platonis disciplina Venerabile, ni- „ hil solidi, nihil divini. Errores undique „ circumstrepunt : ipsa Αθεοτης in his adytis „ latet. Me quod attinet, lubens fateor, Platonem Philosophum fuisse vastissimâ imaginationis vi præditum, minime omnium accuratum ratiocinatorem, eundem multa dogmata in speciem sublimia, ipso opere vero trita, sæpissime erronea, in medium

dium protuliſſe, & clariſſima quæque obſtruſo & metaphorico dicendi genere tenebris involviſſe, agnoſco. Atheum autem & apertum Religionis omnis Hoſtem fuiſſe nego. Quo Jure id ad me factum fuerit, Tuum erit, Clariſſime Bruckere, diſpicere. Supereſt alterutra ex parte Judicium tuum. In quo mihi æque jucunda erit ſimplicitas diſſentientis, quam Comprobantis Auctoritas.

Vale.

Dabam e Muſeo meo Tiguri
d. 24. Maji. 1728.

VII.

VII.

DE

PRIMITIIS TYPOGRAPHICIS,

Quæ

Harlemi in Curia & Francofurti in Bibliotheca UFFENBACHIANA adſervantur.

ETſi de nonnullis primigeniæ typographiæ monumentis, quæ Harlemi viſuntur, quædam præter alios jam annotavit Albertus Henricus de Sallengre (*a*), digniſſimæ tamen ſunt, quas heic cum lectoribus noſtris communicamus, obſervationes Viri plane Incomparabilis, Zachariæ Conradi ab Uffenbach, e binis illius

(*a*) Vide ejus *Memoires de Litterature.* Tom. I. Part. II. pag. 392. ſqq. Haud ita pridem eruditi auctores *des merckwürdigen Wiens*, quosdam hujus notæ libros curate recenſuerunt, nonnullis eorum ſpeciminibus ligno inciſis adjectis, in menſe Februario Anni MDCCXXVII. p. 102. ſqq.

illius litteris, ad me A. MDCCXXVI. d. XXI. Maji & MDCCXXVII. d. XX. Maji gratioſe ſcriptis, è quibus, quod tot inſuper aliis documentis evidentiſſimis conſtat, liquido patet. Eum non ſummum modo litterarum Mæcenatem, ſed & ipſum litteratiſſimum, eſſe. Pace igitur Illuſtris Viri illas accipite, Eique maximas mecum pro hoc beneficio habete gratias. Dedit vero in iis ſimul binorum hujusmodi χειμηλιων, quibus ipſa Ejus Bibliotheca inſtructiſſima ſuperbit, notitiam.

I.

In prima Amoen. litt. Tomi I. obſervatione pag. 3. ſq. locum ex Miſſonii Itinerario citas, ubi de Speculo illo Coſteri, Harlemenſium Palladio, agit. Tu quidem bona illum fide adducis, nec vitio tibi verti poteſt, quod ſcriptori alias haud indocto ac ſedulo peregrinatori eandem non denegaveris. Miraberis autem una mecum, Cl. Benthemium putida iſthæc Miſſonii ſomnia in libello alias eleganti quem: *Holländiſchen Kirchen- und Schulen-Staat* inſcripſit, confirmaviſſe, cum tamen facillimo negotio in ſuis per Belgium itineribus

in

in rei veritatem inquirere & debuiſſet & potuiſſet. Legeram olim ea, quæ Miſſonius comminiſcitur, non ſine ſtomacho. Abominabar enim ſcrupuloſam vel potius ſtultam Harlemenſium in hisce cimeliis cuſtodiendis religionem, vel etiam deteſtandam, quam ſubeſſe ſuſpicabar, invidiam. Cum vero primum anno MDCCV. in Belgium iter inſtituiſſem, Harlemumque veniſſem, ſtatim comperi, quanta cum injuria mendaciſſimam narrationem ſuam confinxerit Miſſonius, de quo repetitis duabus vicibus, anno nimirum MDCCXI. & MDCCXVIII. plane convictus fui, quod ſumma cum facilitate ternis iſtis vicibus cimeliorum illorum inſpectio mihi fuerit conceſſa. Cum primum enim in curia Harlemenſi in libros Coſteri inquirerem, illico quidam ſcribarum nomine Rentzius, Vir perquam humanus, aderat, qui absque Senatorum convocatione vel clavium flagitatione, de quibus omnibus Miſſonius proterve mentitur, me in hypocauſtum Tabulario Civitatis proximum deducebat, in quod ſine mora ex hoc deportabat capſulam quandam non argenteam, qualem denuo fingit Miſſonius, ſed ligneam, formam libri cujusdam vel voluminis ſpiſſioris referen-

tem, in qua libri Coſteri erant reconditi. Capſula hæc non ſeris, quibus illam inſtruit nugator Miſſonius, ſed uncinis orichalceis, ut libri ſolent, clauſa erat, in quorum uno cælatum: *Speculum Humanae Salvationis Laurentii Coſteri;* in altero vero idem Belgice: *Spiegel Menſchlicher Behoudeniſſe.* Remoto operculo, expromebat Rentzius non unicum ſpeculum, ſed quinque volumina, numeris pro ætatis, ut aſſerebat, ratione ſignata. Nullum vero eorum, ut denuo nugatur Miſſonius, ſerico erat involutum, ſed corio rubro, ut videbatur, Moſcovitico erant compacta, quæ omnia & ſingula ſolus Rentzius & oſtendebat & citra piaculum contrectanda proque lubitu inſpicienda porrigebat humaniſſime. Vides igitur, Miſſonium in narratione ſua ne verbulum quidem ſine mendacio protuliſſe de arcanis hiſce theſauris Harlemenſibus. Oportet igitur vel ſomniaſſe eum, vel antequam Saul iſte inter Prophetas Cebenenſes, quorum partes tanto cum ardore poſtea, uti noſti, tuitus eſt, fuit, ſpiritu quodam vertiginoſo hæc omnia comentatum fuiſſe. Sed mittam hominem, ſigulaque nunc enarrabo volumina. Primum eorum exhibet ſpeculum, ut dicitur, Salvationis, nullo tamen præfixo titulo,

lo, nec adjecta, ut in libris vetuſtioribus in fine ſolet, nota temporis, auctoris & artificis vel editoris Coſteri. Initium tale eſt: *Dit is die prologhe van het ſpiegbel onſer behoudeniſſe &c.* Hunc primum eſſe librum a Laurentio Coſtero, primo artis typographicæ inventore, editum aſſerebat Rentzius. Regerebam, Coſterum magni inventoris laude privandum minime eſſe, ſed quam maxime celebrandum, quod non modo figuras, ſed & verba in tabulas ligneas incidendi chartæque imprimendi modum excogitarit primus, anſamque dederit Guttembergio typos ſeparatos, rationemque veræ artis typographicæ, qua nunc utimur, excogitandi. Quæ omnia pluribus e Mallinkrotii, Tenzelii, aliorumque ſcriptis atque ex variis monimentis in ipſa etiam Bibliotheca mea exantibus petitis argumentis adſtruebam, quod hic repetere nimis longum foret. Quanta vero inter Coſteri & Guttembergii inventionem ſit differentia, ad oculum demonſtrabam, non ſolum per litterarum ruditatem formæque ligneæ veſtigia, in marginibus inprimis animadvertenda, ex quibus clariſſime patebat, non modo figuras ſed litteras quoque ligno fuiſſe inciſas, ſimulque chartis impreſſas.

Quamvis igitur primam inventionis gloriam Harlemenſibus merito relinquendam eſſe agnoſcam, rudem tamen illam, operoſam ſumtuoſamque fuiſſe evincebam, Guttenbergium etiam haud minori laude dignum, quod typos ſeparatos elegantioresque, melius etiam atque aptius atramentum, aç denique in utrumque foliorum latus imprimendi rationem, quod ruditas operum Coſterianorum, de quo alias monebo, non admiſit, adinvenerit. Sed hæc obiter. De primi hujus voluminis argumento adhuc dicendum eſt. Siſtunt ſingula ejus folia in parte ſuperiori hiſtorias ex veteri novoque Teſtamento deſumtas, lapſum potiſſimum humani generis ſalutisque humanæ reparationem, quod titulus etiam ſupra ex prologi initio memoratus innuit, indicantes, in inferiori autem brevem earundem figurarum explicationem lingua Belgica. Alterum, quod Rentzius monſtrabat, volumen ſpiſſius erat, tresque libellos diverſos complectebatur. Priori a manu recentiori, Petri ſcilicet Scriverii, ut ex tertio, de quo mox dicam, volumine conjiciebam, manu ſequens titulus erat præfixus:

Liber

Liber Tabularum ligno inciſarum

à

LAURENTIO COSTERO

Circa annum Salutis humanæ

M CCCC XXVIII.

Adpicta figura arboris, cui inſigniâ urbis Harlemenſis appenſa, cum duplici hac, lingua ſcil. Latina & Belgica, epigraphe: *Vicit vim virtus.* Prior libellorum in hoc volumine occurrentium de Tentationibus morientium remediisque contra easdem agit. Eodem modo ac in ſupra memorato ſpeculo tabulis ligneis inciſa omnia, figuræ nimirum morientes per diabolum tentatos referentes, in folio autem ſubſequenti earundem explicatio. Incipit: *Agonizans login & uſum rationis habere potuerit &c.* Alter libellorum meris figuris hiſtoriam B. Mariæ Virginis referentibus conſtat, hiſce vero ipſis adciſa ſunt verba nonnulla, ex quorum convenientia cum reliquis clare patet, omnia Coſteri, atque ea etiam, quæ figuris carent, ſimili modo ligno inciſa fuiſſe. Tertius

libellus in hoc volumine ſpeculum eſt lingua Latina. Præfixus huic eſt duplex titulus, vetus ſcilicet atque recentior. Ille ab ipſo Coſtero ligno inſculptus, ſchedulæque ſeparatæ impreſſus ac poſtea libri initio adglutinatus videtur. Hic unica tantum linea conſtat, & ita habet: *Lib. cujus nomen & titulus eſt ſpeculi humane ſalvationis.* Recentior vero titulus a Scriverio, ut puto, præmiſſus ita ſonat:

LIBER

Cujus nomen & titulus

SPECULUM HUMANAE SALUTIS

HARLEMI

Ex officina Laurentii Joannis Coſteri

ANNO 1440.

Hæc editio non differt a Belgica, de qua ſupra dictum; niſi lingua Latina, & quod figuræ coloribus, aſt ſatis inepte, ſint diſtinctæ. Initium hujus editionis Latinæ tale eſt: *Incipit ſpeculum humane Salvationis*

tionis in quo ſtatus caſus hors modus repaaois. In hoc ſpeculo poteſt homo conſiderare q. ob cauſam creator oim decrevit hoiem creare &c. Tertium volumen exhibet hiſtoriam B. Joannis Apoſtoli cum variis viſionibus Apocalypticis, de quo cum ipſemet ejus exemplum poſſideam, alio tempore, ſi aves, pluribus dicam. Præfixus eſt Harlemenſi Codici ſequens titulus:

M. S.
Viro Conſulari
LAURENTIO COSTERO
HARLEMENSI
Alteri Cadmo & Artis Typographicæ circa
Annum Domini
M CCCC XXX.

Inventori primo
bene de litteris ac
toto orbe merenti
hanc Q. L. C. Q. ſta-
tuam quia æream non
habuit pro monu-
mento poſuit Civis gratiſs.
Adrianus Romanus.
A. M. ıɔc xxx.

P. Saerdam fecit. *A. Romanus exc.*

Vana quid Archetypos & præla Moguntia jactas?
Harlemi Archetypos prælaque nata scias.
Extulit hic monstrante DEO LAURENTIUS ARTEM;
Dissimulare Virum hunc, dissimulare Deum est.

Ments roemt van't eerste Boeck nyt, here pers gesonden,
Tot Haerlem is nochtans de Druckery ghevonden
Dees Laurens heeft de konst met Godt daer voort gebracht
Verswygt men diesen Mann so wirdt oech GOtt veracht.

P. Scriverius. (*b*)

Adjecta quoque Costeri imago satis eleganter æri incisa.

Vo-

(*b*) Prolixius Scriverii in hanc rem poëma legitur in Georgii Hegenitii Itinerario Frisio-Hollandico p. 90. sq. edit. Elzevir. A. 1630.

Volumen quartum, quod forma eſt, quam quartam vocant, aſt minori, Speculum quoque ſiſtit lingua Belgica, ſed emaculatius recentiusque. Videtur enim illud circa finem ſæculi XV. vel ſub initium, XVI. typis, qualibus nunc utimur exſcriptum, & quidem in utramque foliorum paginam, absque loci, temporis ac librarii mentione. Nil igitur in hoc ſculptum, præter figuras coloribus diſtinctas. Quintum volumen complectitur M. T. Ciceronis de Officiis & de legibus libros. Utrosque manu deſcriptos exiſtimabat Rentzius. Aſt prima ſtatim inſpectio docebat illam ipſam editionem Moguntinam eſſe, quam Tu quoque ex Bibliotheca Auguſtana memoras, ego vero jam olim in Zwiccavienſi videram, & quidem membranis, in hoc vero Harlemenſi volumine chartis, aſt membranas æmulantibus, impreſſam. Ut Rentzium convincerem, clauſulam in fine adjectam monſtrabam videlicet: *Preſens Marci Tulii clariſſimum opus Johannes Fuſt Moguntinus Civis non atramento plumali, canna neque erea, ſed arte quadamperpulcra manu Petri Gernsheim pueri mei feliciter effeci finitum Anno M CCCC LXVI. quarta die menſis Februarii.* Liber vero de Legibus manu ſa-

tis eleganter descriptus, litterisque nonnullis aureis ornatus est, circa initium, ut videtur, sæculi XV. Hæc sunt, quæ prima vice, dum veneranda hæc divinæ artis typographicæ inventæ monumenta perlustrarem, observaveram.

II.

Cum Anno MDCCXI. Harlemi denuo degerem, ac vetera isthæc volumina perquirerem, animadverti commutata interim illa fuisse. Nam quod antea numero II. signatum fuerat, velut primum nunc cernebam inscriptum. Causam quærenti respondebat Rentzius, qui denuo vetera isthæc monumenta humanissime ac sine omni difficultate nobis commonstrabat, compertum hactenus fuisse, Latinum hoc speculum antiquius esse Belgico illo. Id quod verosimile mihi videtur, quod Bertius non modo Lib. III. Rerum Germ. p. 613. expressis verbis dicat: quod apud Petrum Scriverium viderit primum magnæ artis rudimentum, Speculum Salutis non Belgice sed Latine scriptum: sed & quod in ipso exemplo Belgico inscriptiones figuris subjectæ Latino sermone legantur, indicio

dicio haud obscuro, Tabulas illas Latino primum Speculi exemplo fuisse adaptatas, deinde vero Belgicæ ejusdem editioni novæ denuo adhibitas. Diligentius hoc, quod antea secundum, nunc jure primum erat, inspicienti volumen, patebat primum in eodem libellum agere de tentationibus morientium, nec sine voluptate perspiciebam, memetipsum nonnulla ex eo folia, de quibus infra dicam, in mea Bibliotheca possidere. In reliquis, quæ prima vice videram, voluminibus nil amplius notatu dignum observabam. Accesserant vero duo alia interim volumina, quæ Rentzius benivole quoque exhibebat. Primum erat Bartholomæi cujusdam Scholastici de rerum proprietatibus opus lingua Belgica formaque majori editum. In fine leguntur hæc notata: *hier eyndet dat boeck welck gebieden is Bartholomaus van de proprieteyten der dinghen in den jaer ons Heeren MCCCC en LXXXV. op ten heyligen Kersavent* (id est in vigilia Festi Nativitatis Christi) *ende is gheprint* (hoc est, impressum) *ende ock mede volleyndt te Haerlem in Hollant ter eeren Godes en leringhe der Menschen van mi Meester Jacop Benart geboren van Zeiczie* (intelligend. procul dubio

dubio Ziriczæa in Seelandia). Initium libri hoc eſt: *Want die eygenſchappen der dingen volgen moeten der ſubſtanſcien &c.* Alterum, quod nobis commonſtrabat Rentzius opus, erat famoſum illud Chronicon Colonienſe, inſigne de artis typographicæ inventione exhibens teſtimonium. Titulus illius ita habet: *Die Cronica van der billiger ſtadt van Coellen.* In fine autem de ejus editione hæc nota legitur: *indhait gedruckt mit groiſſem ernſt en fliſs Johann Koelhoff burger in Coellen, ind vollendet up Sent Bartholomaus avend des billigen Apoſtels anno vurſs. 1489. God have lov tzo allertzyt und ewiclich.* In hoc Chronico evolvebat nobis Rentzius locum illum circa medium fere fol. 311. ſq. occurrentem, quo Harlemenſibus prima quidem artis typographicæ inventio aſſeritur, Moguntinis autem ejusdem perfectio recte adſcribitur, perhibeturque Anno 1450. Biblia typis ac litteris majuſculis, qualibus libri rituales, qui vulgo Miſſalia vocantur, ſolent, exſcripta fuiſſe. Jam antea vero Donatum in Belgio editum eſſe indicatur. Dolebat Rentzius non ſine ratione, hanc Donati editionem inter cætera artis præſtantiſſimæ in Belgio primum inventæ monumenta

non

non adeſſe. Antequam valediceremus Viro humaniſſimo, diligenter in Laur. Coſteri ſtatuam, de qua Miſſonius in Itinerarii Tomo I. Epiſt. II. p. 24. fabulatur, quamque fabulam ex eodem repetit Benthemius Part. II. p. 567. inquirebam : aſt Rentzius æque ac illi qui in curia nos circumducebant, ſtatuam Coſtero poſitam plane ignorabant, ac ſolam imaginem ejus in tabula lignea depictam, ædibusque Coſteri in foro exiſtentibus affixam, comonſtrabant. Quærebam denique ex Rentzio, num vera eſſent, quæ Alkemadius, Vir alias optimus ac fide dignus, Roterodami narraverat de inſtrumentis noviter repertis, quibus Coſterus ad artis utiliſſimæ inventionem uſus ſit : aſt hoc quoque merum otioſorum hominum figmentum eſſe intelligebam. Hæc ſunt, quæ in altero itinere Harlemi obſervare licuit. Nunc de volumine illo, quo propria mea ſuperbit Bibliotheca, nonnulla ſubjungam. Exhibet primo illud folia XIV. invicem agglutinata, quorum duplicia quinque priora exhibent hiſtoriam Johannis Apoſtoli cum nonnullis ejus viſionibus Apocalypticis, ipſa Laurentii Coſteri manu ligno inſculpta, primaque artis divinæ à ſe inventæ rudimenta, de quibus nuper

per perſcripſi, ſiſtentia. Reliqua vero fragmentum conſtituunt libelli illius, de quo ſupra dixi, de tentationibus morientium. Duo hic occurrunt capita, quorum primum: *Temptacio dyaboli de vana gloria*, alterum: *Bona uſurpacio Angeli contra vanam gloriam* inſcribitur. Mira in hiſce foliis tam figurarum quam litterarum eſt ruditas, ex qua aperte patet, non modo illas, ſed & has ipſas ligno eſſe inciſas atque effigiatas, id quod ex lineis in margine circumductis aperte quoque patet. Deinde in hoc meo volumine occurrit illud ipſum Speculum Coſterianum, aſt multo auctius in Suevia veſtra editum, multis figuris ligno inciſis ornatum. En ipſum, quem præfert, titulum: *Dis iſt der Spiegel menſchlicher behalteniſſe mit den Evangelien und Epiſtelen durch daz ganz Jar.* Clauſula in fine hæc eſt: *hie endet ſich der Spiegel menſchlicher behaltniſſe mit ſamt den Evangelien und Epiſteln durch daz ganze Jar von der Zeite und von den heiligen mit dem comune getruckt zu Reutlingen von Michel Greiffen* - - - - (ultima enim linea dilacerata) MCCCCLXXXXII. Occurrunt præterea in Bibliotheca mea alia volumina, quæ circa ipſa artis typographicæ incuna-

bula

bula ſunt edita, de quibus, nec Tibi forſan injucunda, afferre poſſem, ſi temporis ratio ac anguſti etiam epiſtolæ limites id paterentur. Confeci nuper primarum mearum editionum, ſeu librorum primo a typographiæ inventione ſæculo typis exſcriptorum, indicem duplicem, primum ordine Chronologico, alterum ſerie alphabetica digeſtum. Quamplurimæ in hoc occurrunt veterum inprimis auctorum editiones, quæ in Cl. Maittaire Annalibus deſiderantur. Non ſine rei literariæ emolumento atque commodo igitur foret, ſi non modo hic index, ſed epiſtolarum quoque mearum MSStarum (*c*) elenchus, ac librorum manu Doctorum Virorum illuſtratorum, collatorum ac notatorum Catalogus, publicam lucem videre poſſet.

Hæc

(*c*) Paucis in hujus opellæ Tomo VI. pag. 508. incomparabilem Bibliothecæ UFFENBACHIANÆ theſaurum epiſtolicum laudavi; nunc addo, interim eum inſigni duorum voluminum epiſtolarum ad Jo. Jacobum Schudtium Philologum præſtantiſſimum perſcriptarum acceſſione auctum eſſe, quod ipſe Illuſtris Poſſeſſor me in literis humaniſſimis die XXII. Martii Superioris anni exaratis edocuit.

Hæc ille ſæculi noſtri Peireſcius binis vicibus ad me. Perſuaſiſſimum mihi eſt, ſi Vir Illuſtris novo iſthoc beneficio eruditum orbem bearet, ut indices hosce in dias luminis auras prodire pateretur, gratum illud omnibus, qui litteras amant, optatiſſimumque, & cum certo rei litterariæ incremento conjunctum fore.

Ad Lectorem.

IN paginarum hujusce faſciculi, quo novum idque quintum noſtræ opellæ volumen B. C. D. ordimur, numeris non noſtra, ſed typothetæ culpa erratum eſt. Reliqua menda typographica extantiora in ſequentis tomi calce notabimus: ea vero, quæ in Exercitatione de Atheiſmo Platonis, & præſertim in locis veterum inibi allegatis commiſſa ſunt, ipſe Doctiſſimus Auctor corrigere haud gravabitur.

00561603